95

LIBRAIRIE ANCIENNE & MODERNE
Alph.se
PICARD
82 rue Bonaparte
PARIS

F-3

ICOR
270.61
A844
v.10

INSTITUTE OF CHRISTIAN
ORIENTAL RESEARCH
CATH. UNIV. OF AMER.

dp II

CODEX LITURGICUS ECCLESIÆ UNIVERSÆ

LIBER VIII.

DE ORDINE

In quo Sacræ Ordinationes omnium Eccleſiarum Occidentis, & Orientis antiquæ ac recentiores, tum editæ, tum ineditæ

NUNC PRIMUM PRODEUNT.

JOSEPH ALOYSIUS ASSEMANUS

Ad Mss. Vaticanos, alioſque caſtigavit, recenſuit, Latine convertit.

PARS III.

Syrorum Maronitarum Sacræ, & Majores Ordinationes

ACCESSERUNT APPENDICES DUÆ,

I. Ex Libanenſi Maronitarum Synodo deprompta eſt.
II. Repræſentat cl. Morini verſionem, & Adnotationes in eaſdem Ordinationes.

ROMÆ, M DCC LVIII.
APUD HÆREDES BARBIELLINI
AD FORUM PASQUINI.

SUPERIORUM PERMISSU.

Rev. H. HYVERNAT, D. D.
Catholic University of America,
Washington, D. C.

H 95

ICOR
270.61
A844
v.10

INSTITUTE OF CHRISTIAN
ORIENTAL RESEARCH
CATH. UNIV. OF AMER.



Caroluſ Grandi del, et Sculp- Romæ Superiorum Facultate- Anº. 1758.

Sanctiſſimo Domino Noſtro

CLEMENTI XIII.
PONT. OPT. MAX.

JOSEPH ALOYSIUS ASSEMANI

PERPETUAM FELICITATEM.

GRatiſſimum, Pater Beatissime, & percommodum mihi accidit, Te Ca-

tholi-

tholicæ Eccleſiæ Epiſcopum, & Paſtorem in Sacris Romani Cleri comitiis canonicè electum, & a Chriſtiano Orbe maximo cum bonorum omnium plauſu ſalutatum, his potiſſimùm diebus, in quibus in lucem profero alteram Partem Ordinationum Eccleſiæ Antiochenæ Syrorum Maronitarum pro Codicis Liturgici Eccleſiæ Univerſæ continuanda Editione, quam ſub Auſpicis fœlicis recordationis Benedicti XIV. Anteceſſoris tui incohatam, ejuſdem auctorita-

te ad nonum uſque Tomum perduxeram.

Continet hæc Ritus, & Cœremonias, quibus Pontifices Maronitæ initiantur, eorumque Antiochenus Patriarcha eligitur, & conſecratur. Illuſtrantur autem Ritus, & Diſciplina Clericorum Antiochenorum adjecta Appendice e Libanenſi Maronitarum Synodo an. 1736. deprompta. Tomus itaque hic decimus Codicis Liturgici, Nomine Sanctissimo Tuo, Tuiſque gentilitiis Inſignibus ornatus pro-

dire

dire geſtiebat ; ſortitus enim Animam bonam , & a teneris annis forma Gregis factus Teipſum per omnes honorum gradus Eccleſiaſticæ diſciplinæ exemplar exhibuiſti adeo, ut Cardinales Ampliſſimi, qui pro deligendo difficillimis hiſce temporibus Eccleſiæ Catholicæ Rectore , ac Magiſtro convenerant, in Te oculos conjicere minime dubitaverint; tanti nimirùm tua merita , Tuaſque virtutes fecerunt , ut Te digniſſimum habuerint, qui Orbem Catholicum ædifica-

res , Petri Naviculam fluctibus undique agitatam dirigeres , diſſidia componeres , quæ Chriſtianorum teſſeram, charitatem, vel abigere, vel occultare omnes nimium dolentes videbant. Quoniam verò ſingularis tua modeſtia omnibus nota non patitur, ut in hac Epiſtola Tuas , Tuique Nominis ac generis laudes , quas alii & Oratores , & Hiſtorici debitis encomiis celebratas propagabunt , Tibi recitem , idcirco iis miſſis, audaciæ notam , quæſo, ne mihi inuras ſi

maximis Summi Pontificatus, atque Principatus primordialibus curis occupato Tibi in memoriam revocem labores, quos ſuperioribus annis, cum Cardinalatus honore fungereris, & antequam Patavinam ſapienter regendam Eccleſiam ſuſciperes, pro Antiochena Maronitarum Eccleſia componenda, & Synodo totius Nationis vindicanda, & probanda ſumma fide, & integritate jucundiſſime egiſti.

Cum enim inimicus homo, pro antiqua ſui indole, ziza-

nias ſeminaſſet in Montis Libani vinea Domini Sabaoth, & hanc Roſam inter ſpinas dextera Domini plantatam, ſpinæ ipſæ, ac tribuli erumpentes, & ſuccreſcentes prefocare tentaſſent, quin & Magiſtrum Joſephum Simonium Aſſemanum in Utraque Signatura Referendarium, Baſilicę S. Petri de Urbe Canonicum, & Vaticanæ Apoſtolicæ Bibliothecæ Præfectum Patruum meum, qui Sedis Apoſtolicæ, Clementis XII. Auctoritate, ablegatione functus collabentem diſciplinam An-

tiochenam reparare ſategerat, non ſine gravi ſuæ vitæ, bonorum, & exiſtimationis præſentiſſimo diſcrimine, adverſarii multi petiiſſent; Tu, Pater Beatissime, cauſam omnem in eo poſuiſti ſtatu, ut fraudibus detectis, calumniis depulſis, Synodus probata, & quæſtiones omnes ita ſubindè fuerint explicatæ, ut Maronitica gens Benedicti XIV. Conſtitutionibus, brevibus & literis devincta, deturpatæ, & collapſæ diſciplinæ reformationem, ac reſtitutionem,

eaque

eaque omnia, quæ a Patruo meo, & Prælatis Maronitis in Synodo ſanctiſſimè fuerant conſtituta, læta ſuſceperit, ac ritè probaverit.

Fructum ergò laborum tuorum manducabis, ſi quando graviſſimis occupationibus vacuus, volumen iſtud, quod è Libanenſi Synodo ferè totum exſcriptum eſt, revolvere dignaberis, & me collectorem, non Auctorem, Codicis Liturgici hoc etiam titulo benignus reſpicies, & volenti, ac currenti calcaria adjicies, & ſtimulos,

quibus preſſus, & incitatus meæ memor conditionis, officia mea Eccleſiæ perſolvam, & incohata adimpleam, ſi tamen ea Tibi Eccleſiæ Chriſtianæ Pontifici Maximo probata fuerint. Grata autem Tibi fore ea, quam omnes in Te ſummam erga Eccleſiam, ac Res Sacras ſuſpiciunt, devotio perſuadet; quin & illa, quam de tua ſpectata, & probata clementia, juſtitia, integritate meritò omnes conceperunt, opinio in ſpem magnam me erigit fore,

ut

ut Tui juris hominem, qui ex Clementis XII. quidem benignitate in Romano hoc tuo gymnaſio ab an. 1737. in tradendis Linguę Syro-Chaldaicę Elementis, humanioribuſque literis, ex Beneicti XIV. verò Auctoritate ab anno 1749. in Chriſtianis ſacris omnium Eccleſiarum explicandis quotidie, occupatus ſum, Dominico fulcias præſidio, paterna complectaris charitate, paſtorali munias cura, & Apoſtolica dones benedictone, quam mihi, laboribuſque meis humillimè

implo-

imploro, dum ad Tuæ Sanctitatis pedes provolutus Codicem Liturgicum, Sacrorum Chriſtianorum Theſaurum, mole quidem exiguum, ſed præſtantia rei ſacræ maximum Teque dignum, Tibi præſento in argumentum perpetuum meæ erga Te devotionis, ac maximi voti, quo Deum aſſiduè cum Eccleſia Catholica precor, ut Sanctitatem Tuam univerſo Orbi Chriſtiano conſervet incolumen, tuumque iſtum Pontificatum maximè diuturnum,

& quod nomini tuo reſpondeat, conſiliorum, ac rerum tuarum curſum jubeat eſſe felicem & omnibus charum.

APPROBATIONES

Facultas Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Romanæ Sapientiæ, & Rei Literariæ univerſæ Moderatoris.

Poterit imprimi ſi iis videbitur ad quos pertinet.

Philippus Maria Pirelli Pro-Rector.

PErcurrimus & ad examen revocavimus *Partem Tertiam Libri VIII. de Ordine*, in qua Cl. Auctor Syrorum Maronitarum Ordinationes, quæ deſiderabantur in altera parte, exhibet adjectis duabus Appendicibus. In hoc pariter Tomo Decimo *Codicis Liturgici* multum auxit, & ornavit longa etiam Præfatione Celeber. Morini Ordinationes Syrorum Maronitarum, ubique ſervando Regulam Fidei, & Morum, itaut nequeamus non idem ferre judicium, ac tulimus de præcedentibus Tomis, ideſt illum prelo committendum propter Eccleſiæ utilitatem; ſi ita videatur Reverendiſſimo P. S. P. A. Magiſtro, cujus juſſibus obtemperavimus. Datum Romæ: die 20. Auguſti 1758.

D. Antonius Franciſcus Vezzoſi Præpoſitus Generalis Cleric. Regul. in Archigymnaſio Ramano publicus Hiſt. Eccl. Profeſſor, & Epiſcoporum Examinator.

D. Fridericus de Judice Abbas Cæleſtinorum in Cœnobio S. Euſebii, ac in Romano Archigymnaſio Sacrorum Dogmatum Profeſſor.

Silverius Orbini Advocatus, & in Romano Archigymnaſio J. U. Profeſſor.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Rmo Patri Sac. Pal. Apoſt. Magiſtro.

F. M. de Rubeis Patr. Conſtant. Viceſg.

IMPRIMATUR

Fr. Vincentius Elena Reverendiſs. P. Mag. S. P. A. Socius.

IN-

INDEX

Et Series Titulorum.

Præfatio. pag. j
Item Chirotonia, qua perficitur Epiſcopus, & Metropolitanus, Cæterique gradus ſublimes Sacerdotii. 1.
Chirotonia Patriarcharum &c. 64.
Appendix I. è Synodo Libanenſi anni 1736. 120.
Caput II. De Cantore, Lectore, Subdiacono, Diacono, Diaconiſſa, Exorciſta, Archidiacono, & Æconomo, ibidem.
Caput III. De Præsbytero, Parocho, Periodeuta, Archipreſbytero, & Chorepiſcopo. 133.
Caput IV. De Epiſcopis, Metropolitanis, Primatibus. 146.
Ordo Sanctarum Sedium. 161.
Caput V. De Foro Eccleſiaſtico. 209.
Caput VI. De Reverendiſſimo Domino Patriarcha. 214.
Appendix II. Johannis Morini. Ritus Ordinationis Epiſcopi. 234.
Ordo quo Conſecratur Patriarcha. 238.

PRÆ-

PRÆFATIO.

1. DECIMUS Codicis Liturgici Eccleſiæ Univerſæ Tomus tandem aliquando prodit Lector Benevole. Continet autem ſacras, ac Majores Syrorum Maronitarum Ordinationes, Ritus nimirum, ac Coeremonias, quibus Pontifices Antiocheni Maronitæ conſecrantur, & Patriarcha eorum ab Epiſcopis ipſis eligitur, ac inthronizatur. Sacris iſtis Ordinationibus duæ ſubjiciuntur Appendices, quarum prior e Libanenſi Maronitarum Synodo depromta eſt, poſterior verò cl. Johannis Morini Verſionem, & Adnotationes in laudatos Ritus repræſentat. Quid autem in componendo volumine iſto præſtiterim, in hac Præfatione tibi ſignificare peropportunum duxi.

2. Cum igitur in Secunda Libri Octavi Codicis Liturgici Parte Syrorum Maronitarum Ordinationes Pſaltarum, ſeu Cantorum, Lectorum, Subdiaconorum, Diaconorum, Archidiaconorum, Presbyterorum, Periodeutarum, ſeu Viſitatorum, Archipresbyterorum, ſeu Chorepiſcoporum Syriacè, & Latinè exhibuerim, & cl. Morini verſionem Adnotationeſque in eaſdem Ordinationes adjecerim, Ordinis ratio exigebat, ut coeremonias, atque Ritus in hoc Tomo vulgarem Syriacè ac

Latinè, quibus Pontifices, & Patriarcha initiantur, & confirmantur. Horum itaque Hierarcharum Ordinationes ex Codice nobis communicato a meritiſſimo Collega noſtro Thoma Eva deſcriptas vulgavimus, & contulimus cum Syriaco Maronitarum Pontificali in Urbani Collegii de Propaganda Fide Bibliothecæ Manuſcripto Codice. Quoniam vero in alterius Tomi IX. Præfatione a pag. XLVI. ad pag. LXXXIX. e Libanenſis Synodi Parte prima Cap. 13. ea recitavimus, quæ a numero 1. ad numerum 45. leguntur de Ordinationibus, pro Codicis præſtantia, & auctoritate oſtendendis; & in hac Parte, reliqua ſpectantia ad Ordinationes vulganda promiſimus, hinc lubet ea recitare quæ in laudata Synodo a numero 46. continentur, ſunt autem.

" 46. Epiſcopus quum Ordinatur, poſt tertiam ingreditur Patriarcha (vel de ejus commiſſione conſecrator Pontifex) cum duobus Epiſcopis in Gazophilacium, & advocat Electum: obductiſque velis, Electus oſculatur manum Patriarchæ dicens. *Benedic Domine*. Tum aptatur Capiti Electi Cucullus, & induitur Alba, & Cingulo præcingitur, & Amictus Capiti ejus imponitur, & Stola collo, & Manicæ brachio utrique aptantur: ac demum Pluviali induitur: Tum dicit Patriarcha Electo: *Spiritus Sanctus vocat te ut ſis Epiſcopus vel Metropolita pro Urbe N.* Electus procumbit in faciem coram Patriarcha dicens: *Obedio & implebo omnia præcepta Apoſtolica, & Conciliorum admonitiones*. Signat eum Pátriarcha in-

,, fron-

„ frontem ter ſigno Crucis dicens : *Dominus Deus bene-*
„ *dicat te, & dignum te faciat gradu ſummi Sacerdotis*
„ *ſuper ſedem Civitatis N. in Nomine Patris* &c. Tum
„ conſtituunt Electum ad latus Altaris, & Patriarcha
„ incohat celebrationem Sacræ Liturgiæ, & poſt con-
„ ſummationem ſacrificii, exuunt Electum Pluviali,
„ & adducunt eum ante Altare junctas manus ſuper
„ pectus tenentem : & ſedens Patriarcha in Throno
„ coram Altari, Aſſiſtentibus hinc inde duobus Epiſco-
„ pis, incipit officium cum precibus, Pſalmis, & Hym-
„ nis, quod Ordinationi præmittitur, dicens : *Gloria*
„ *Patri &c. Dignos nos effice Chriſte Deus noſter &c.*
„ Quo abſoluto, duo Epiſcopi adducunt Electum ad la-
„ tus Auſtrale Altaris, & genuflexus legit Chirogra-
„ phum Juramenti, fideique profeſſionem in hæc ver-
„ ba : *Ego N, filius N. vocatus gratia Dei ex gradu*
„ *Presbyterorum ad Epiſcopatum ſuper Civitatem N.*
„ *corde credo, & ore confiteor &c.* Deinde duo Epi-
„ ſcopi adducunt eum ad conſpectum Patriarchæ, &
„ unus eorum dicit. *Offerimus ſanctitati tuæ, Sanctiſ-*
„ *ſime Pater, & Rector noſter Patriarcha, hunc Servum*
„ *Dei N. &c.* Patriarcha jubet eum flectere utrumque
„ genu, & imponens Capiti ejus manum dexteram di-
„ cit : *Divina gratia* &c. *vocat, & promovet hunc ſer-*
„ *vum Dei N. a gradu Presbyterorum, ſeu Periodeu-*
„ *tarum, ſeu Archipresbyterorum, ſeu Chorepiſcoporum,*
„ *ad gradum Epiſcoporum ſuper Eccleſiam Civitatis N. &c.*
„ Deinde orat : *Ita Domine, ſac eum dignum vocatio-*

„ *ne Epiſcoporum &c.* Patriacha imponit manum Capi-
„ ti Electi, Epiſcopis Codicem Evangeliorum ſuper ejuſ-
„ dem Electi Caput eo loco apertum tenentibus, ubi le-
„ gitur Cap. 10. Johannis, *Amen Amen dico vobis, qui*
„ *non intrat per oſtium in ovile ovium*: Et dicit: *Deus*
„ *qui univerſam Eccleſiam tuam per hos ſummos Sacerdotes*
„ *per manus impoſitionem exornas*: *Tu qui omnia potes*,
„ *etiam hunc ſervum tuum, quem, ut gradum excelſum*
„ *Epiſcoporum a te acciperet, dignum effeciſti, omnibus*
„ *virtutibus exorna* &c. Et imponens manum ſuper Sa-
„ cramenta, & ſuper Caput Electi proſequitur dicens:
„ *Deus Deorum & Dominus Dominantium* &c. Archi-
„ diaconus proclamat: *Stemus omnes in oratione* &c. Pa-
„ triarcha imponens manum Capiti Electi dicit: *Bene-*
„ *dictus es Domine Deus* &c. Et erigit eum, tollunt-
„ que Epiſcopi Codicem Evangeliorum, & orat Patri-
„ archa: *Inclina Domine aurem tuam* &c. Et imponens
„ manum Capiti ejus, dicit: *Reſpice in nos* &c. Tum
„ Proceſſionem incipiunt Presbyteri, & Clerici juxta
„ morem, & unus Epiſcoporum deferat vas Chriſ-
„ matis, alter Codicem Evangeliorum: Electus au-
„ tem duas Cruces, alteram dextera, alteram ſini-
„ ſtra. Si verò fuerit ſimplex Presbyter, in prima
„ proceſſione ungit Baptiſterium cum Chriſmate tribus
„ vicibus. Peracta autem proceſſione, Electus genua
„ flectit coram Patriarcha, qui unacum Aſſiſtentibus
„ Epiſcopis manum capiti ejus imponens dicit. *In po-*
„ *teſtate verbi tui* &c. *Tu Domine emitte ſuper hunc*
„ *ſer-*

„ *ſervum tuum Spiritum tuum Sanctum*, *& principa-*
„ *lem*, *ut paſcat & viſitet Eccleſiam ſibi creditam*, *or-*
„ *dinetque in ea Sacerdotes*, *conſtituatque Diaconos*, *&*
„ *conſecret Altaria*, *& Eccleſias* &c. Deinde ſecunda
„ fit proceſſio, ut ſupra: & in fine Electus genua fle-
„ ctit coram Patriarcha, & Epiſcopis Codicem Evange-
„ liorum ſuper caput Electi tenentibus, Patriarcha ma-
„ num Capiti imponens, dicit: *Domine creator omnium*
„ *&c.* Deinde fit tertia Proceſſio, & in fine omnes in-
„ grediuntur: Patriarcha vero ab Electo binas Cruces
„ accipit, eique genuflexo tradit Codicem Evangelio-
„ rum clauſum, dicens: *Domine Rex omnium Pater*,
„ *& Deus* &c. Tum accipit ab eo Evangelium, & di-
„ cit: *Tus es Dominus Deus* &c. Inungit caput Electi cum
„ Chriſmate ter in modum Crucis, dicens: *Compla-*
„ *ceat tibi etiam nunc Domine Deus noſter*, *& per Un-*
„ *guentum tuum*, *& per manus noſtras effunde virtu-*
„ *tem præfecturæ Spiritus tui ſuper hunc ſervum tuum*
„ &c. Patriarcha iterum inungit cum Chriſmate palmas
„ Electi in modum Crucis producendo cum pollice ſuo
„ dextero intincto duas lineas, videlicet a pollice dexte-
„ ræ manus uſque ad indicem ſiniſtræ, & a pollice
„ ſiniſtræ uſque ad indicem dextræ, & inungit ambas
„ Electi manus, dicens: *Et concede ei Domine Deus om-*
„ *nipotens per unguentum tuum lætitiam*, *& gaudium*
„ *Spiritus tui Sancti* &c. Et erigit eum: tum Patriar-
„ cha manus lavat, & Electus caput & manus: & di-
„ cit Archidiaconus Epiſtolam: Patriarcha vero Evan-
„ gelium.

„ gelium ex Johanne cap. 10. *Amen, Amen dico vobis,*
„ *qui non intrat per oſtium*. Archidiacono proclaman-
„ te: *Chriſte Deus noſter &c.* Patriarcha imponit ma-
„ num ſuper caput Electi genuflectentis, & ſignat eum
„ ter ſigno Crucis dicens: *Ordinatus eſt in Eccleſia*
„ *Sancta Dei N. Epiſcopus &c.* & erigit eum dicens
„ ter: *Kyrie Eulogbiſon*. Populus. *Kyrie eleiſon*. Pa-
„ triarcha induit Electum Pluviali dicens: *Ad gloriam,*
„ *& honorem &c.* Et imponit ei mithram dicens: *Ad*
„ *gloriam, & honorem &c.* Et collocat eum in Throno
„ ſuper excelſum gradum converſa ad Occidentem fa-
„ cie, dicens: *Ad gloriam, & honorem &c.* Epiſcopi,
„ & Presbyteri Thronum apprehendentes, elevant eum
„ ter dicentes: *Dignus*. Populus reſpondet: *Dignus*
„ Patriarcha tradit Electo Baculum Paſtoralem dicens:
„ *Virgam virtutis* &c. Tum orat: *Dominus qui de-*
„ *dit Moyſi &c.* Et erigit eum, adducitque ad portam
„ Altaris, & tradit ei gregem ſuum, & omnes Sacer-
„ dotes, & Clericos ſubiicit ei, & Eccleſiam & om-
„ nia Sacramenta: Et admonet eum dicens: *Cariſſime Ec-*
„ *ce nunc dico tibi* &c. Tum converſus ad Altare gra-
„ tias agit, dicens: *Agimus tibi gratias Domine Jeſu*
„ *Chriſte &c.*

„ 47. Patriarcha cum conſecratur, poſt tertiam in-
„ grediuntur Metropolitæ, & Epiſcopi omnes cum Præ-
„ ſide Synodi ad Altare, & adducunt Electum, &
„ imponunt ei cucullum, & induunt eum Alba, & cin-
„ gulo præcingunt, & Amictum capiti imponunt, &

„ Sto-

„ Stolam collo, & Manicas brachiis aptant, & Pluvia-
„ le eum induunt. Deinde Præſes Synodi cum Metro-
„ politis, & Epiſcopis procumbit in terram coram Ele-
„ cto, dicens: *Spiritus Sanctus te vocat, ut ſis Patri-*
„ *archa ſuper Civitatem magnam Antiochiæ, & Ditio-*
„ *nem univerſam Apoſtolicæ Sedis* (Antiochenæ) *& Pa-*
„ *ter omnium noſtrum.* Electus flectit genua dicens: *Obedio*
„ *& implebo omnia præcepta Apoſtolica, & Sanctorum*
„ *Conciliorum Ordinationes.* Tum conſtituunt Electum in
„ parte ſecretiori in ipſo Altaris ambitu; & Synodi Præ-
„ ſes celebrat: & poſt conſummationem Sacrificii, Ele-
„ ctus adducitur ante Altare, junctas manus tenens: Præ-
„ ſes autem Synodi in Throno ſedet Aſſiſtentibus hinc in-
„ de Metropolitis, & Epiſcopis, qui omnes in Ordinatione
„ Patriarchæ communicare debent, itaut per ordinem
„ unuſquiſque eorum ſtatutas Orationes, ſeu Hymnos,
„ ſeu proclamationes recitet, & omnes imponunt manum
„ capiti Electi tempore impoſitionis manus, & omnes
„ ſimul dicunt Invocationem Spiritus Sancti ſuper eum,
„ & cum traditur ei Baculus, omnes illum tenent, unuſ-
„ quiſque ſecundum antiquitatem ſuam, & ſimul ap-
„ prehendunt manum dexteram Electi, elevantque illam
„ ſuper manus omnium, itaut ipſe Electus ſummum
„ verticem baculi teneat. Præſes igitur Synodi inci-
„ pit, *Gloria Patri &c. Dignos nos effice Domine Deus &c.*
„ Et dicunt Pſalmos, *Domine in virtute tua lætabitur*
„ *Rex. Eructavit cor meum verbum bonum. Deus ju-*
„ *dicium tuum Regi da; &, Memento Domine David;*
„ & re-

„ Et reliquum officium, quod conſecrationi præmitti-
„ tur. Tum legant ex Actibus Apoſtolorum, ex Epi-
„ ſtola S. Petri, & ex Epiſtola S. Pauli: Præſes autem
„ legit Evangelium S. Matthæi: *Quum veniſſet Jeſus*
„ *in partes Cæſareæ Philippi*. poſt lectionem Evangelij
„ ſedent Patres in ſedibus ſuis, & duo ex eis adducunt
„ Electum ad partem auſtralem Altaris, ubi legit To-
„ mum Fidei manu ſua exaratum in hæc verba. *Ego*
„ *N. filius N. vocatus ad Culmen Patriarchalis gradus*
„ *miſeratione divina, & electione hujus Sanctæ Synodi,*
„ *credo firmiter corde, & ore coram* Deo, *& hac San-*
„ *cta Synodo profiteor &c.* Et Tomum ab eo accipiunt,
„ ut illum reponant in Archivo ſedis, & dicunt ſecun-
„ dum Officium: D*eus Paraclite &c.* cum Pſalmis,
„ precibus, & hymnis: quibus abſolutis, Præſes Sy-
„ nodi orat: D*omine* D*eus virtutum &c.* Tum duo Epi-
„ ſcopi Electum Pluviali, & Amictu ſpoliant, & ad-
„ ducunt coram Præſide, qui jubet eum genu utrum-
„ que flectere, & imponens manus ſuper Caput ejus
„ dicit: D*ivina gratia &c. vocat, & promovet hunc*
„ *Servum* Dei *N. ad Patriarchalem Thronum Civita-*
„ *tis* Dei *Antiochiæ magnæ. Oremus ergo omnes, ut ad-*
„ *veniat ſuper eum gratia, & illapſus Spiritus Sancti*
„ &c. Deinde orat: *Ita* D*omine effice eum dignum vo-*
„ *catione Pontificatus* &c. Tum Præſes Synodi imponit
„ manum Capiti Electi, Epiſcopis apertum Codicem
„ Evangeliorum ſuper ejuſdem Caput tenentibus, ma-
„ numque item imponentibus, & dicit. D*eus qui vir-*

„ *tute*

„ *tute tua omnia cœleſtia fundaſti* &c. *Tu emitte ſu-*
„ *per hunc ſervum tuum Spiritum tuum Sanctum, &*
„ *principalem, ut paſcat, & viſitet Eccleſiam ſibi credi-*
„ *ditam, conſecretque Epiſcopos & ordinet Sacerdotes,*
„ *& conſtituat Diaconos*. Et cætera, ut ſupra in Conſe-
„ cratione Epiſcopi. Tum omnes Epiſcopi unacum Præ-
„ ſide manus capiti Electi impoſitas tenentes, dicunt:
„ *Imponimus manus noſtras ſuper hunc ſervum Dei Ele-*
„ *ctum in Spiritu* &c. Et Præſes Synodi, & reliqui Epi-
„ ſcopi proſequuntur Invocationem Spiritus Sancti, ſuas
„ adhuc manus ſuper caput Electi impoſitas tenentes:
„ *Deus, qui omnia in virtute feciſti* &c. Præſes Sy-
„ nodi elevans vocem dicit. *Quoniam tu es largitor bo-*
„ *norum* &c. Et converſus ad Populum: *Pax vobis*.
„ Populus. *Et cum ſpiritu tuo*. Præſes orat: *Reſpice*
„ *nos Domine* &c. Hic Evangelium ab Electo removent:
„ & Præſes Synodi impoſita ſuper caput ejus manu ſi-
„ gnat eum ter in fronte dicens: *Ordinatus eſt in San-*
„ *ta Eccleſia Dei N. Patriarcha Sanctæ Eccleſiæ Civi-*
„ *tatis Antiochiæ totiuſque ejus ditionis, in nomine*
„ *Patris* &c. Et erigit eum dicens: *Kyrie Eulogbi-*
„ *ſon*. Populus: *Kyrie eleiſon*. Præſes Amictum Patri-
„ archæ imponit dicens: *Ad gloriam & honorem* &c.
„ Et induit eum Pluviali dicens: *Ad gloriam* &c. Tum
„ imponit ei Omophorium dicens: *Ad gloriam* &c. Et
„ imponit ei Mithram dicens: *Ad gloriam* &c. Et col-
„ locat eum in Throno dicens: *Ad gloriam* &c. Me-
„ tropolitæ & Epiſcopi thronum apprehendentes elevant

 „ illum

„ illum ter dicentes : *Dignus* . Populus : *Dignus* , *dignus* ,
„ *dignus* . Tum Patriarcha conſecratus ſurgens e thro-
„ no , legit Evangelium ex Joanne : *Amen* , *Amen di-*
„ *co vobis* , *qui non intrat per oſtium in ovile ovium* .
„ Deinde ſedet in throno : & dicit Litanias unus ex Epi-
„ ſcopis , *Stemus rectè* &c. Præſes Synodi converſus ad
„ Altare orat : *Agimus tibi gratias* &c. Et converſus ad
„ conſecratum Patriarcham apprehenſa ejus manu , ſur-
„ gere eum jubet , & tradit ei Baculum Paſtoralem , itaut
„ Præſes verticem Baculi teneat , & reliqui Epiſcopi ſub
„ manu ejus ſinguli juxta gradum ſuum , & omnium
„ poſtremus conſecratus : dicit autem Præſes alta voce ,
„ proſequentibus Epiſcopis : *Virgam virtutis tuæ emit-*
„ *tet tibi dominus ex Sion* , *& dominaberis ſuper ini-*
„ *micos tuos* . Et accipiens Præſes dexteram conſecrati
„ Patriarchæ elevat eam ſuper omnium Epiſcoporum ma-
„ nus , itaut ſinguli teneant Baculum ſub manu ejus ,
„ & adhuc ſecundò & tertiò dicit Præſes : *Virgam vir-*
„ *tutis* &c. Et relinquunt Baculum in manu ejuſdem con-
„ ſecrati : & deducunt eum ad Altare , ubi Præſes Sy-
„ nodi ad aurem ſecretò ei dicit : *Ecce coram Deo ad-*
„ *ſtas* &c. Tum orat : *Deus* , *qui elegit Moyſen* &c. De-
„ inde unus ex Epiſcopis proclamat : *Chriſte Deus no-*
„ *ſter* &c. Demum Præſes Synodi cum Epiſcopis poſt da-
„ tam Electo pacem , adducunt eum ad Portam majo-
„ rem Altaris , & ipſe benedicit populo cum Baculo in
„ modum Crucis tribus vicibus : reliqui autem accedentes
„ dexteram ejus oſculantur : Poſtea Sacramenta perci-
„ piunt ,

„ piunt, & Liturgiam conſecratus Patriarcha abſoluit,
„ Præſes autem Synodi populum dimittit.

„ 48. Quas ſupra recenſuimus Ordinationes, ſeu Con-
„ ſecrationes, Cantoris, nimirum, Lectoris, Subdiaconi,
„ Diaconi, Archidiaconi, Presbyteri, Periodeutæ, Archi-
„ presbyteri, Chorepiſcopi, Epiſcopi, & Patriarchæ; tam-
„ quam nobis a majoribus noſtris traditas, & in Syriaco
„ Antiochenæ noſtræ Eccleſiæ Pontificali deſcriptas, ac-
„ curatè, diligenterque ſervare debemus, nec commit-
„ tere, ut quidquam earum prætermittamus. Illud tamen
„ advertendum eſt, non omnes, quos ſupra enumeravi-
„ mus in Ordinum numerum computandos eſſe: Sunt
„ enim ordines minores, Cantor, Lector, & Subdiaco-
„ nus: Majores, Diaconus, & Presbyter, & Epiſcopus:
„ Dignitates veró, Archidiaconus, Periodeuta, Archipreſ-
„ byter, Chorepiſcopus, & Patriarcha. Quamobrem
„ iſtæ quidem dignitates niſi cum benedictione in Ponti-
„ ficali præſcripta, non ſunt, ut diximus, conferendæ.
„ Verum ſi quis ex Ordine inferiori ad altiorem eſſet pro-
„ movendus, qui dignitatem inter utrumque Ordinem po-
„ ſitam non fuiſſet per conſecrationem adeptus, illud ſer-
„ vari debet, quod in conſecratione Epiſcopi præſcribitur,
„ ut nimirum Cæremoniæ omnes adhibeantur, quæ in be-
„ nedictione Periodeutæ Archipresbyteri, & Chorepiſcopi
„ præmitti deberent, perque eas cæremonias Epiſcopo tra-
„ datur poteſtas, quæ Periodeutis, Archipresbyteris, &
„ Chorepiſcopis conceditur: etſi enim in Epiſcopatu con-
„ tinetur omnis inferiorum dignitatum Periodeutæ, Ar-

„ chipresbyteri, & Chorepiſcopi poteſtas, hujus tamen „ poteſtatis inſignia expreſsè juxta Pontificale tradenda ſunt, „ ut puta Baptiſterij cum Chriſmate cnnſecratio, & cæ- „ tera hujuſmodi. Sic in Ordinatione Diaconi, quando „ præmittenda eſſet Archidiaconatus benedictio, Epiſtolæ „ Pauli unacum Sacrorum Evangeliorum Codice ſunt tra- „ dendæ, ut diſertius exprimatur poteſtas legendi tum Epi- „ ſtolas tum Evangelium. Quando autem ad Patriarcha- „ tus Apicem ex ordine Præsbyterorum quemquam evehi „ contingit, antea ordinandus eſt Epiſcopus, juxta Ponti- „ ficale, tum conſecrandus Patriarcha: nam hæc conſecra- „ tio pro ſolemni tantum benedictione habetur. Quod ſi uni- „ ca conſecratione velint eum & Epiſcopum, & Patriarcham „ ordinare; debent in ritu Conſecrationis Patriarchæ ad- „ dere omnia quæcumque ad ordinem Epiſcopatus ſpe- „ ctant, nimirum poſt decretum illud, *Divina gratia* &c. „ Et poſt Orationem hanc, *Ita Domine dignum eum effi-* „ *ce* &c. dicenda eſt a Præſide Synodi manum Capiti Ele- „ cti imponente, & Epiſcopis Evangelium ſuper eum te- „ nentibus, hæc oratio: *Deus qui univerſam Eccleſiam* „ *tuam* &c. Deinde hæc altera: *Benedictus es Domine* &c. „ Tum addatur propria Patriarchæ conſecratio: *Deus*, „ *qui virtute tua*; *&*, *imponimus manus noſtras*: *&*, *Deus*; „ *qui omnia in virtute feciſti*. Et poſtquam a capite Ele- „ cti removerint Evangelium, tres per Eccleſiam facien- „ dæ ſunt proceſſiones, dicente Præſide: *In poteſtate ver-* „ *bi tui* &c. Deinde Caput, & manus ejus ſunt cum „ Chriſmate inungendæ, dicente Præſide: *Tu ei Domine*

Deus

„ *Deus* &c. *Complaceat tibi* &c. *Et concede ei* &c. Tum
„ dicat Præſes: *Inclina Domine aurem tuam* &c. Et hanc
„ aliam Orationem: *Reſpice nos Domine* &c. Et procla-
„ met, *Ordinatus eſt* &c. Et reliqua, ut in conſecratione
„ Patriarchæ.

„ 49 In Antiquis Conciliis (*Laodicen. can.* 24. 26.
„ *Antiochen. can.* 10.) Et apud SS. PP. (*Ignat. in Ep. ad*
„ *Antiochen. circa finem, Epiphan. in expoſit: Fidei*)
„ inter Clericos numerantur *Exorciſtæ*, & *Oſtiarii*; Et
„ S. Romana Eccleſia ab ipſis Chriſtanæ Fidei incunabulis
„ in uſu habuit quatuor Minores Ordines conferendi, *Oſtia-*
„ *riatum*, ſcilicet, *Exorciſtatum*, *Lectoratum*, & *Aco-*
„ *lythatum*, quorum, & Concilium Carthaginenſe (*IV.*
„ *an.* 398. *can.* 6. & *ſeqq.*) mentionem facit. Verum in Ec-
„ cleſia Orientali neque *Oſtiarius*, neque *Exorciſta*, ne-
„ que *Acolythus* propriam, & peculiarem Ordinationem
„ habent: Sed *Acolythus* quidem, & *Oſtiarius* in Subdia-
„ conatu continentur (*Nairon. in Evopl. Par.* 2. *pag.* 224.
„ & 225.) cujus ordinis munus apud noſtros eſt, ut Ec-
„ cleſiam, & Sacrarium claudat, & aperiat, ſignum, &
„ campanam pulſet, Cereos, & Candelabra ferat, & lumi-
„ naria Eccleſiæ accendat, vinum etiam, & aquam ad
„ Euchariſtiam paret, atque miniſtret: ſicut etiam in Ec-
„ cleſia Græca in ipſa Subdiaconatus forma exprimuntur his
„ verbis: *Tu Domine inculpatum illum in omnibus conſer-*
„ *va*, & *domus tuæ decorem diligere, ſancti Templi tui*
„ *foribus adſtare*, & *Tabernaculi gloriæ tuæ lucernas ac-*
„ *cendere concede*: Unde Joannes Papa VIII. Acolythum
pro

,, pro Subdiacono uſurpat in Epiſtola ad Græcorum Im-
,, peratorem , ubi Ordines juxta Ritum Eccleſiæ Orienta-
,, lis ſic enumerat : *Volumus ut talis promoveatur per ſin-*
,, *gulos gradus Eccleſiaſticos probatus , ut ſit primùm Le-*
,, *ctor , deinde Acolythus , poſtea* Diaconus *, tum Presby-*
,, *ter , poſthæc Epiſcopus* . Et nos Subdiaconum vulgo *Ce-*
,, *roſerarium* appellamus,ideſt Acolythum. Exorciſta verò
,, juxta Ritum noſtrum , in infimo Ordine , ſeu Canto-
,, ratu comprehenditur. Cum enim Cantor ordinatur, tra-
,, ditur illi poteſtas imponendi manus ſuper Energume-
,, nos , dæmoneſque effugandi , his Verbis : ,, *Rogamus*
,, *te , Domine , ut gratiam & miſericordiam tuam fa-*
,, *cias ſuper hunc ſervum tuum N. Largire ei , ut una-*
,, *cum diligentibus nomen tuum miniſtret coram te in*
,, *æquitate ; conſerva vitam ejus abſque peccatorum ma-*
,, *culis : converte eum , ut convertatur ad te , & vo-*
,, *luntatem tuam faciat , & in lege tua meditetur , di-*
,, *gnuſque ſit , qui Serpentes , & Scorpiones conculcet ,*
,, *nec ab ullo lædatur propter Sanctum nomen tuum ,*
,, *quod hodie ſuper eum invocatum eſt &c.* Unde in
,, Concilio Antiocheno (*Can.* 10.) Exorciſtæ pro Can-
,, toribus ſumuntur, ubi Chorepiſcopis datur facultas Or-
,, nandi Subdiaconos , Lectores , & Exorciſtas , non au-
,, tem Diaconos,vel Presbyteros; nam poſt Subdiaconos,
,, & Lectores nullus alius eſt in Eccleſia Orientali Ordo ,
,, qui conferatur , niſi Pſalmiſta ſeu Cantor ; Qui in non-
,, nullis Euchologiis Græcis cum Lectoratu conjungitur ;
,, in aliis vero (*Goar in Euchology. Græcorum* Ordo in

,, Pro-

„ Promotione Cantoris, & Officium in Lectorem, *Mo-*
„ *rin. de Sacr. Ordin. part.* 1.) ſicut & in omnibus Sy-
„ riacis, a Lectore ſeparatur. Quod vero inter ejuſdem
„ Exorciſtæ officia in Romano Pontificali additur; *Exorci-*
„ *ſtam*, ſcilicet, *oportere dicere populo, ut, qui non com-*
„ *municat, det locum; & aquam in miniſterio fundere*: hoc
„ partim ad Officium Subdiaconatus apud Nos translatum
„ eſt, aquam nimirum in miniſterio fundere; partim ad
„ Officium Diaconatus pertinet: Diaconi eſt enim in Litur-
„ gia, dicere, *Ite in pace auditores*: Ut nimirum, qui
„ non communicant, dent locum. Cum igitur Innocen-
„ tius IV. (*ad Ottonem Epiſcopum Tuſculan. in Regno Cy-*
„ *pri Sedis Apoſtolicæ Legatum*) præceperit, *ut Græci*
„ *ſeptem Ordines ſecundum morem Eccleſiæ Romanæ de*
„ *cætero conferant, qui hucuſque tres de minoribus circa*
„ *Ordinandos neglexiſſe, vel prætermiſiſſe dicuntur*: De
„ iis loqui exiſtimandus eſt, quos Romanum Ritum ſequi
„ volebat, quemadmodum & illum Armeni in Ordinum
„ numero, & collationis modo ſecuti ſunt. At quatuor
„ Patriarchales Orientis Eccleſias tum Græci, tum Sy-
„ riaci, tum Ægyptiaci Ritus, ab Antiquo Ordinum nu-
„ mero Collationiſve modo recedere Summi Pontifices
„ numquam juſſerunt, quin potius conſuetudines earum
„ Rituſque in Sacramentis conficiendis ſeu adminiſtrandis
„ expreſsè probarunt, & Laudarunt.

„ 50. Si quis ſecularis, ſive regularis, alterius Natio-
„ nis, ſeu Ritus etiam latini Superiorum juſſu, aut per-
„ miſſu ad Reverendiſſimum Dominum Patriarcham pro
„ ſuſcip-

„ ſuſcipiendis Ordinibus remiſſus fuerit, is juxta noſtrum
„ Syriacum Ritum Ordinandus erit, etiamſi ad manus
„ habeatur Pontificale ritu ſeu lingua Ordinandi conſcri-
„ ptum, magis enim dedecet, ut Epiſcopus alieno ritu
„ in Ordinibus conferendis utatur, quam ut quis ritu
„ non ſuo ab Epiſcopo Catholico Ordinetur: ſic quippe
„ legimus Latinos ab Epiſcopis Orientalibus Ordinatos,
„ & Orientales etiam a Latinis Epiſcopis initiatos. Id-
„ que olim promiſcuè in uſu fuiſſe exempla S. Hiero-
„ nymi (*Hieron Ep. 61. ad Pammachium*) ejuſque Fra-
„ tris Pauliniani a Paulino Patriarcha Antiocheno, & a
„ S. Epiphanio Cypri Epiſcopo Ordinatorum teſtatum fa-
„ ciunt: noſtris etiam temporibus tam Latini quam Aegy-
„ ptiaci ritus homines nonnulli S. Cong. de Propag. Fide
„ juſſu a noſtro Patriarcha Sacros Ordines acceperunt. Con-
„ tra a Latinis Epiſcopis, initio fundati a Gregorio XIII.
„ noſtræ Nationis in Urbe Collegii Alumni tum mino-
„ ribus, tum majoribus Ordinibus initiari conſueverant; Et
„ in Calabria Italo Græcos paſſim ad Ordines promoven-
„ di Latinis Epiſcopis poteſtatem a Summis Pontificibus
„ fuiſſe factam colligitur ex Inſtructione Clementis VIII.
„ (*ſuper aliquibus Ritibus Græcorum*) in qua (*ſſ*. 4,)
„ dicitur: *Si Epiſcopus Latinus Græcum aliquem ordinare*
„ *voluerit* &c. Quia tamen S. Pius v. vetuit (*Conſtit. Pro-*
„ *videntia die* 20. *Aug.* 1566.) ne deinceps Græci Latino
„ more, & Latini Græco Ritu Miſſas, & alia divina officia
„ celebrare præſumant, idcirco cavendum eſt, ne noſtri
„ Epiſcopi extraneos homines alterius ritus ordinent, neve
quiſ-

„ quiſquam noſtrorum ab alterius gentis Epiſcopis etiam
„ Catholicis Ordinetur, ſine urgenti neceſſitate, & expreſ-
„ ſa vel ſummi Pontificis, vel Reverendiſſimi Domini Pa-
„ triarchæ facultate.
„ 51. Ut rebus (1) nomina reſpondeant, diligenter
„ curent Epiſcopi, Parochi, & ludi Magiſtri, ut non ſolum
„ ii, qui ordines accipiunt, ſed etiam populus intelligat, quæ
„ ſint propria cujuſque Ordinis nomina & officia, quis nu-
„ merus, qui majores Ordines, & qui minores; quæ de-
„ mum dignitates, & præfecturæ. Solet enim vulgus Subdia-
„ coni nomine etiam Diaconos appellare, & Archidiaconum
„ pro Diacono, & Diaconum pro Subdiacono, & Subdiaco-
„ num pro Acolytho habere: omnes item Presbyteros nomi-
„ ne Chorepiſcoporum, aut Archipresbyterorum, & omnes
„ Epiſcopos nomine Metropolitanorum indiſcriminatim or-
„ nare. Quæ omnia rejicenda, & abolenda decernimus,
„ ſtatuentes, ut in poſterum unuſquiſque Ordo, ſeu Di-
„ gnitas proprio ſuo nomine appelletur &c.„ Hactenus Verba Synodi Libanenſis recitavimus, ex quibus confirmatur Ritus Eccleſiæ Antiochenæ in Pontificali expreſſus.

3. In Maronitarum Ordinationes commentaria, ac expoſitiones doctas æquè ac pias pro uſu, & bono ejus gentis fecerunt Patriarchæ Maronitæ, Johannes videlicet Maro, & Stephanus Aldoenſis; de quibus quædam

(1) Omitto canonem 51., in quo ad vitandam omnem avaritiæ & ſimoniæ ſuſpicionem prohibetur, ne quidpiam pro ſuſceptione Ordinum recipiatur ad tenorem Canonum Trid. ſeſſ. 24. cap. 14. de Reform. & ſeſſ. 21. cap. 1. de Reform. Apoſtol. can. 30. Chalcedonen. can. 2. & Trullan. can. 32.

in hac Præfatione dicenda ſunt. Exſtat igitur in Bibliotheca vaticana Codex in 4. Chartaceus manu cl. Abrahami Ecchellenſis anno Chriſti 1664. Romæ defuncti exaratus, conſtatque foliis 249. qui Codex tom. primo Bibliot. Vatic. cl. Patrui pag. 580. inter Codices Ecchellen. 64. numeratur. Codex in duos tractatus, ſeu Libros diviſus eſt, poſterior conſtans 50. capitibus continet expoſitionem Liturgiæ S. Jacobi Apoſtoli fratris Domini. Hunc Latine reddidimus & vulgavimus Tom. 5. Codic. noſtri a pag. 227. & in Præfatione p. LX & ſeqq. Johanni Maroni vindicavimus. Prior Liber ſeu tractatus eſt, *de Sacerdotio*, & in Capita 40. diſtribuitur, quorum Elenchum recito, ſic autem habet.

„ Cap. 1. De nomine, ac definitione Sacerdotii. Cap. 2. De
„ origine atque initio Sacerdotii: Cap. 3. Quam ob cauſſam
„ traditum ſit Sacerdotium. Cap. 4. De diviſione Sacerdotii,
„ aliud, ait, eſſe Sacerdotium Cœleſte, aliud Eccleſiaſticum:
„ & Eccleſiaſticum quidem dividi in tres Ordines, in Epiſco-
„ patum, ſcilicet, in Presbyteratum, & in Diaconatum.
„ Cap. 5. Canones a Paulo Apoſtolo præſcripti de Preſ-
„ byteris, & Diaconis. Cap. 6. Expoſitio verborum Pau-
„ li de Epiſcopis. Olim quidem tam Presbyteros, quam
„ Epiſcopos, uno Presbyterorum nomine fuiſſe adpellatos;
„ quum tamen Epiſcopi a meris Presbyteris revera diſtin-
„ guerentur. Cap. 7. Expoſitio verborum Pauli: *Unius uxo-
„ ris vir*. Cap. 8. Quod non convenit, Sacerdotes eſſe
„ percuſſores. Cap. 9. Quod non licet, Sacerdotes eſſe
„ pecuniæ amatores. Cap. 10. Quod oportet, Sacerdo-

„ tem

„ tem eſſe Doctorem, curam habere de verbo doctrinæ
„ Fidei, ut poſſit exhortari in doctrina ſana, & eos,
„ qui contradicunt, arguere. Cap. 11. Oſtenditur qui-
„ buſnam traditum ſit Sacerdotium Eccleſiaſticum, &
„ pro quibus? Cap. 12. De amplitudine Sacerdotii Ec-
„ cleſiaſtici, ejuſque cum Sacerdotio Legali compara-
„ tione, ac præſtantia. Cap. 13. De præſtantia Sacer-
„ dotii, ex generatione, & populo, & loco. Cap. 14.
„ De præſtantia & laudibus Sacerdotii Eccleſiaſtici, ex di-
„ verſis ipſius muneribus. Cap. 15. De præſtantia Sa-
„ cerdotii Eccleſiaſtici, ex ipſius efficientia. Cap. 16.
„ Quidnam ſit præſtantius, ſublimius, & glorioſius, Sa-
„ cerdotium, an Regnum, an Prophetia? Cap. 17. In
„ quibuſnam Chriſti Domini Noſtri ſimilitudinem Mel-
„ chiſedech repræſentabat? Cap. 18. Oſtenditur, Legale
„ quidem Sacerdotium propter ſuum defectum fuiſſe de-
„ relictum; hoc vero Eccleſiaſticum propter ſuam præ-
„ ſtantiam in locum illius traditum. Cap. 19. De Sum-
„ mo Sacerdotio, Cæleſti, ac Terreſtri. Cap. 20. Quæ-
„ nam ſit eſſentia Summi Sacerdotii? Cap. 21. De lar-
„ gitore Summi Sacerdotii, & quænam ſit illius efficien-
„ tia? Cap. 22. De iis, quæ ſunt communia, & quæ
„ propria Summi Sacerdotii noſtri, & Angelorum.
„ Cap. 23. Quinam ſint Ordines & Poteſtates uniuſcu-
„ juſque eorum, qui Sacerdotio funguntur? & quænam
„ proprietates uniuſcujuſque Ordinis, & poteſtatis, &
„ efficientiæ? Cap. 24. De perfectione uniuſcujuſque
„ Ordinis. Cap. 25. Expoſitio eorum, quæ ſunt commu-

„ nia, & quæ propria uniuſcujuſque Ordinis: Cap. 26.
„ De Ordinibus eorum, qui perficiuntur. Cap. 27. De
„ perfectione Monachorum. Cap. 28. expoſitio perfe-
„ ctionis Monachorum. Cap. 29. Objectiones, ceu ex
„ perſona Judæi, adverſus ea, quæ ſunt dicta. Cap. 30.
„ De impoſitione manus Sacerdotii. Cap. 31. Oſtendi-
„ tur, quibuſnam præditus ſit Paſtor hominum, opor-
„ teat. Cap. 32. Oſtenditur, qua de cauſſa requiritur,
„ ut hiſce rebus ſit præditus Princeps, Paſtor, & Re-
„ ctor. Cap. 33. Quinam ſint Paſtores, & Summi Sa-
„ cerdotes Eccleſiæ hujus terreſtris, a quibus iſthæc re-
„ quiruntur? & quiſnam ſit eorum Ordo? Cap. 34. Ex do-
„ ctrina Apoſtolorum docetur, cujuſmodi ſi, oporteat,
„ is, qui ad Epiſcopatum eligitur: & cujuſmodi eſſe de-
„ beant ipſius opera. Cap. 35. De iis, quæ ab Epiſcopo
„ requiruntur, dum concionem habet. Cap. 36. De
„ judicio Epiſcoporum. Cap. 37. Epiſcopi eſt, docere,
„ arguere, & abſolvere per indulgentiam, ea, ſcili-
„ cet, quæ ſibi a Deo tradita eſt, poteſtate. Cap. 38.
„ Adhortatio ad Epiſcopos, quomodo oporteat, ut ſe ge.
„ rant. Cap. 39. Admonitio ad Populum, ut Epiſco-
„ pum venerentur. Cap. 40. De falſis fratribus.

4. Sed quia Cl. Euſebius Renaudotius ut ſpurium reji-
cit hoc opus, & Aſſemanus Patruus tom. 1. Bibl. p. 420.
& tom. 2. pag. 122. Tractatum de Sacerdotio Johanni
Darenſi Epiſcopo ut vero auctori reſtituendum conten-
dit, hinc operæ pretium cenſeo Johannis Darenſis ætа-
tem, ejuſdemque Tractatus de Sacerdotio Indicem exhi-
be,

bere, ut æqui Lectores de quæſtione critica judicium ſuum ferre queant. Darenſis Epiſcopus Jacobita nec ante annum Chr. 700. floruit, nec ejus ætas extendi poteſt ultra annum 850. ut ſcribit Patruus tom. 2. Bibliot. pag. 118. Inter cætera opera, quæ ſcripſit, (& exſtant in Vaticana Biblioteca in vetuſtiſſimo membranaceo Codice inter Ecchellen n. 16. ſcripto ante annum Chr. 932. ut Aſſemanus optime oſtendit Tom. 2. Bibliot. pag. 118. & 119.) recenſentur de Sacerdotio Libri 4.

Primus Liber continet Cap. 8. 1. De muneribus Divinis, & de Summo Sacerdotio cæleſti, ac terreſtri. 2. Quod Sacramenta debito honore colenda ſint, nec omnibus patefacienda. 3. Quid ſit Summum Sacerdotium. Init. fol. 116. a tergo, tale eſt: *Sacra* (ſeu Sacerdotalia) *Sacramentorum verba per id tempus ore illis tradebant, qui Sacerdotio perficiebantur, ut ait* Dionyſius *Cap.* 1. *Libri de Eccleſiaſtica Hierarchia. Quod ſi quis eſſet, qui ea non facile ore retinere poſſet, eadem verba ſcripto tradebant ei, donec illa recitaret dumtaxat.* 4. Quæ ſit ſubſtantia Summi Sacerdotii noſtri. 5. Unde initium ſummi Sacerdotii. 6. Quæ ſit communis totius ſummi Sacerdotii perfectio. 7. Quis effectus ſummi Sacerdotii, & a quo idem collatum. 8. Quæ communia, & quæ propria ſummi Sacerdotii noſtri, & Angelorum.

Liber ſecundus dividitur in capita 18. Cap. 1. Prooemium. Cap. 2. Quid ſit Sacerdotium, & undenam hoc nomen derivatum. Cap. 3: Unde initium,

&

& unde originem traxit Sacerdotium. Cap. 4. Quomodo Sacerdotium ſucceſſivè deductum. Cap. 5. Quam ob cauſam traditum Sacerdotium? Cap. 6. Quibus, & pro quibus traditum Sacerdotium Eccleſiaſticum. Cap. 7. Diviſio Sacerdotii in Cæleſte, Legale, & Eccleſiaſticum. Cap. 8. Quæ ſit ſubſtantia, quæ virtus, & quæ operatio uniuſcujuſque eorum. Cap. 9. Altera Sacerdotii diviſio Cap. 10. Quis, & quotuplex effectus Sacerdotii. Cap. 11. Quæ ſit perfectio operationis Sacerdotii. Cap. 12. De magnitudine, præſtantia, & ſublimitate Sacerdotii Eccleſiaſtici. Cap. 13. item de magnitudine Sacerdotii. Cap. 14. Quod Sacerdotii decus ex varietate munerum ejus deprehenditur. Cap. 15. De præſtantia Sacerdotii. Cap. 16. De ſublimitate Sacerdotii: & quodnam ſit præſtantius, ac ſublimius Sacerdotium, an Regnum, an Prophetia. Cap. 17. Quibus in rebus Melchiſedech figuram Chriſti Domini geſſit. Cap. 18. De impoſitione manus Sacerdotii.

Liber tertius duobus capitibus abſolvitur. 1. Reſponſio ad objectiones Judæorum adverſus Sacerdotium noſtrum. 2. Oſtenditur præſtantia Sacerdotii noſtri, & quare Legali dimiſſo, hoc noſtrum ſubſtitutum fuit.

Liber IV. eſt mutilus in fine. Capita verò, quæ ſuperſunt, hæc ſunt. 1. Præfatio de Sacerdotio. 2. de Principatu, ubi tamen nihil de Patriarchis, ſed ſolum de Epiſcopo, Presbytero, & Diacono. 3. Canones Pau-

Pauli de Presbyteris, & Diaconis. 4. Verba Apoſtoli ad Timotheum, & ad Titum exponuntur: & primum de nomine Epiſcopi, & Presbyteri. 5. Quibus moribus præditus eſſe debeat hominum Paſtor, Caput, & Rector. 6. Quare hæc in Paſtore requirantur. 7. de coniugio Sacerdotum: ubi expendit ea Pauli verba, *unius uxoris vir*; & primò quidem reiicit errorem quorundam, qui ea contra mentem Pauli, & contra Eccleſiæ conſuetudinem interpretati ſunt; de-
„ inde verum eorum ſenſum exponens dicit: „ ſed conſtat
„ id per ea verba, *unius uxorit vir*, Paulum intellexiſſe,
„ quod ſcilicet uxorem non ducat poſtquam ad Sacer-
„ dotium promotus eſt, & quod ante ordinationem
„ unam duxerit, & poſt ejus mortem alteram non du-
„ cat. *Rationem reddit*. Ut ſcilicet ejus (hoc eſt Sacer-
„ dotis) converſatio diſtincta ſit, & ſublimior, quam
„ cæterorum. Si enim Moyſes poſtquam a Deo voca-
„ tus fuit, ſeipſum ſanctificavit, & ab uxore ſeparavit:
„ & populo Iſrael, quum ad Dominum acceſſurus eſſet,
„ præceptum fuit, ut per triduum ſanctificaretur & ab
„ uxoribus abſtineret: quanto magis ab Eccleſiæ Sacer-
„ dotibus obſervandum eſt? & ſi Petrus, & reliqui Apo-
„ ſtoli, qui uxores habebant, poſtquam Dominum
„ ſecuti ſunt, non amplius uxoribus uſi fuere; quam
„ decet Sacerdotes omni materiali copula abſtine-
„ re, & ſoli Deo adhærere? „ Quoad Diaconos citatur Canon nonus Synodi Ancyranæ. Cap. 8. Quod non de-

debeant Sacerdotes eſſe percuſſores. 9. Quod non debeant pecuniæ eſſe cupidi. 10. Quod debeat Sacerdos docere, & de ſermone doctrinæ fidei ſollicitus eſſe, ut poſſit conſolari, & eos qui contradicunt arguere.

5. Seriem Capitum Tractatus Johannis Darenſis deſcripſi, ut adpareat diverſitas, quæ ipſum inter, & Maronianum cedit, quæ cum conſtet conferenti utrumque opus, & Johannes Maro in ſua expoſitione Miſſæ a nobis vulgata tom. 5. adſerat ſe de Sacerdotio ſcripſiſſe, atque Codex Ecchellen. nomen ipſius Maronis præferat, nec ulla idonea ratio adferri poſſit, quæ ſuperſcriptionem ſeu inſcriptionem hanc falſam comprobet, quemadmodum expoſitionem Miſſæ S. Jacobi genuinum Maronis fœtum adſerui, ita & Librum de Sacerdotio Johanni Maroni adſerendum cenſeo.

Nec conjecturæ cl. Patrui tales mihi videntur, ut Librum de Sacerdotio a Johanne Marone abdicemus, & Darenſi vindicemus. Sed; non liquet, inquit Patruus, ex quo Codice Ecchellenſis deſcripſerit Johannis Maronis Librum de Sacerdotio.

His verbis Ecchellenſis videtur vocari in ſuſpicionem dubiæ fidei, perinde ac ſi ipſe Maroni ſuppoſuerit opus Darenſis. Quare ut Ecchellenſis fidem liberem, aliis argumentis omiſſis, illa recita verba quæ Patruus ipſe ſcribit tom. 1. Bibliot. pag. 513. de Anaphora Joannis Maronis „ Eandem, unacum reliquis Joannis noſtri operibus, ut ſpuriam reiicit Renaudotius t. 2.

„ Li-

„ Liturg. Oriental. in diſſert. Proœmiali pag. 15. & cau-
„ ſam hanc tam ſeveræ Cenſuræ producit tom. cit. p. 344.
„ quia nulla *Bibliotheca*, *quantumcumque Orientalium*
„ *Librorum dives*, *ipſam repreſentat* : perinde acſi
„ omnes ipſe Bibliothecas adierit, aut omnes Bibliothe-
„ carum omnium Libros evolverit, aut demum nullum
„ in Oriente Scriptorum monumentum ſuperſit, quod
„ in Bibliothecas Europæ illatum non ſit. „

Ut igitur Ecchellenſis falſitatis architectus, vel erroris arguatur, omnes & ſingulos omninò Codices, quos ille un quam vidit, & præ manibus habuit, in numerato habeamus oportet, & ſiquidem nullus tale opus Maronis repræſentat, tunc in ſuſpicionem dubiæ fidei adduci poterit Ecchellenſis; quum vero Aſſemanus in numerato tales Codices non habuerit; ex eo, quod ipſi non liquerit ex quo Codice Ecchellenſis Tractatum Maronis deſcripſerit, æqui critici moderationem Aſſemani in ferendo judicio laudabunt quidem, ſed illi non adhærebunt ſubdenti opus adjudicandum Darenſi. Enim vero norunt omnes Critici, & præ omnibus Aſſemanus ipſe, Scriptores, potiſſimum Eccleſiaſticos, maxime Orientales conſueviſſe Antiquiorum ſententias, & verba, ſi apta fuerint, exſcribere, & quidem paucis immutatis, additis, ſeu demptis.

Cum igitur Joannes Maro Sæculo ſeptimo exeunte fuerit Syrorum Maronitarum Patriarcha conſecratus, ut Aſſemanus ipſe tom. primo Bibliothecæ, Cap. 43. & tom. 2. Italicæ Hiſtoriæ Scriptorum a pag. 96. ad 106.

demonſtrat, non Maro Darenſem, ſed Darenſis Maronem exſcripſiſſe dicendus eſt. Atque hæc de Maronis expoſitione in hoc tomo dixiſſe ſatis eſto, progredior jam ad aliam Expoſitionem Chirotoniæ, quam fecit Stephanus Aldoenſis Maronitarum Antiochenus Patriarcha, qui diem ſupremum clauſit ineunte hoc ſeculo.

6. Exſtat in Bibliotheca Ven. Collegii Urbani de Propaganda Fide Codex Chartaceus in quarto ſignatus *LL*. g. 11. ſcriptus Lingua arabica, ſed Caractere Syriaco, in prima pagina occurrit ſequens Latina adnotatio „ Liber „ hic continet adnotationes, & expoſitiones omnium „ Rituum, & cæremoniarum, quæ continentur, & peraguntur in Pontificali Maronitarum, Romam miſſus a Stephano Patriarcha Maronitarum ad Sanctam Congregationem de Propaganda Fide, ut imprimeretur. Joſeph Baneſius Maronita Collegii Maronitarum in Urbe olim Alumnus, nunc vero in Almo Collegio de „ Sropaganda Fide Linguarum Syriacæ ſeu Chaldaicæ „ Lector & Interpres an. 1685. „

Hunc Librum Aldoenſis compoſuit pro bono, & inſtitutione Eccleſiaſticorum ſuæ Nationis, ac in quatuor commentaria diſtribuit, quorum primum eſt de ipſa Chirotonia, ejuſque gradibus, ac 11. capitibus concluditur. Cap.. 1. De ſignificatione Vocabuli Chirotoniæ. Caput 2. De diviſione Chirotoniæ. Cap. 3. De Miniſtris, eorumque variis gradibus. 4. De Miniſtrorum Ordinatione; Scilicet Pſaltarum, ſeu, Cantorum, Lectorum, & Sbdiaconorum promotione. 5. De Subdiaconorum coeliba-

libatu, ubi Syriacam Diſciplinam Subdiaconis, etiam poſt Ordinationem conjugium permittentem illegittimam non eſſe defendit. 6. De Miniſtris Majoribus, Diacono ſcilicet, & Archidiacono. 7. De gradibus Sacerdotii, 8. De Presbyteris, Periodeutis. 9. De Chorepiſcopis. Cap. 10. De Epiſcopis. 11. De Patriarcha.

In Altero commentario ea tractat Aldoenſis, octo Capitibus, quæ neceſſaria ſunt ad Chirotoniæ perfectionem: Capite itaque 1. agit de Miniſtro Chirotoniæ, qui Epiſcopus eſſe debet; & obſervat in Pontificali Syrorum Maronitarum hunc Miniſtrum aliquando *Epiſcopum* nominari, aliquando *Metropolitanum*, nonnunquam *Paſtorem*, interdum *Patriarcham*, non ſemel *Præſidem Synodi*, quibus appellationibus innuitur, quod ſi præſens fuerit Patriarcha, ipſe omnibus præſit, ejus autem præſentia neceſſaria eſt in Archiepiſcoporum & Metropolitanorum conſtitutione. Si autem Patriarcha non adſit, Metropolitanus præſit. Quod ſi iſte quoque præſens non fuerit, Præſes *Synodi* locum Patriarchæ, ſeu Metropolitani impleat. In Presbyterorum vero, & Diaconorum initiatione unus Epiſcopus ſufficit, quicunque fuerit, modo ſit *Paſtor*, ſeu *Ordinarius* promovendi, aut de hujus conſenſu ordinationem celebret. 2. De Aſſiſtentibus Ordinationi, qui debent eſſe Archipresbyter, & Archidiaconus. 3. Quod Ordinatio in Eccleſia peragatur. 4. Et quidem inter Miſſarum ſolemnia. Obſervat Aldoenſis in hoc 4. Cap. Commentarii 2. peculiarem Syrorum diſciplinam eſſe, ut Ordinatio nonniſi poſt Conſecrationem

Euchariſticam peragatur, idque in Antiochena Eccleſia præſcriptum, & traditum ſcribit ad imitationem Chriſti, qui poſt Coenam Euchariſticam peractam, Sacerdotes fecit Apoſtolos, iis præcipiens, ut ſimiliter & ipſi facerent in ejus commemorationem, 5. Tempora Ordinationi præſtituta. 6. De Ordinandis, eorumque ætate. 7. De caſtitate Ordinandorum. 8. Quod Ordinandi nonniſi ad certum Altare promoveantur.

In 3. Commentario ea exponit verba, & Ritus, quibus perficitur Chirotonia. Cap. igitur 1. De Ordinandorum examine. Cap. 2. De proclamatione eorum, & teſtimonio iis reddendo. Cap. 3. De Ordinandorum præparatione, & Sedis poſitione; in hoc Capite 3. hujus 3. Commentarii agit de diſpoſitionibus requiſitis in Ordinandis, & præcipuè de illorum puritate exteriori & interiori, & quod nihil in ipſis ſit eorum, quæ ſuſcipiendos ordines impediunt. Cap. 4. De Ordinandorum acceſſu coram Epiſcopo. Cap. 5. De Profeſſione Fidei, & Genuflexione Ordinandorum; hoc caput etſi in Indice Commentarii tertii præfixo Capiti primo deſignetur, attamen in corpore fruſtra quæritur; nam poſt Cap. 4. ſtatim ſequitur. Cap. 6. De Ordinatione promovendorum per impoſitionem manus, quam materiam (uti ſcholæ loquuantur) Ordinationis oſtendit. Cap. 7. De verbis Ordinationis *Gratia Divina*, quæ *formæ* locum in Ordinatione implere cenſet Aldoenſis; cujus ſententiæ alibi, erunt examinandæ. Cap. 8. De invocatione Sſpiritus San-

Sancti. Cap. 9. De manus Epiſcopi impoſitione ſuper myſteria & ſuper capita Ordinandorum, deque pace, & proclamatione Diaconorum Cap. 10. De Chriſmali unctione Presbyteri, & Epiſcopi. Cap. 11. De elevatione Ordinatorum & publicatione Ordinationis eorum facienda populo. Commentarium 4. attribuit iis, quæ traduntur Ordinandis. Cap. igitur primo agit de cauſa traditionis quarumdam rerum Ordinandis. Quæ autem traduntur triplicis ſunt generis, vel enim ſunt Veſtes, & indumenta, vel libri, vel inſtrumenta diverſa. Cap. 2. De cauſa eorum, quæ traduntur Miniſtris Cap. 3. De cauſa eorum; quæ traduntur Sacerdotibus. Cap. 4. De cauſa eorum, quæ traduntur Summis Sacerdotibus Cap. 5. De oſculo Altaris, & participatione Sanctorum myſteriorum.

7. Indicem Expoſitionis Stephani Aldoenſis recitaſſe nunc ſatis nobis viſum eſt; ſed quoniam Cap. 10. Com. 3. De unctione Chriſmali Presbyterorum, & Epiſcoporum pertractat, placuit nonnihil ſubiicere in hac Præfatione, & ex laudato capite proferre monumenta, quæ Unctionem in Eccleſia Antiochena uſurpatam olim fuiſſe indicant: quo Lectores Benevoli in verba Maroni pag.... citata non facile jurent. Aldoenſis igitur poſtquam e Cap. 33. Exodi Legalis unctionis Sacerdotum V. T. ritum expoſuit, atque Ritum Eccleſiæ Romanæ ad Veteris legis cæremonialis imitationem præſcriptum in Pontificali Romano adſervit, obſervat in Antiochena Syrorum Maronitarum Eccleſia unctionis Ritum uno circi-

circiter ſeculo ante ſua ætatem inductum fuiſſe. Tum quæſtionem inſtituit, an in Eccleſia Syrorum Maronitarum & Jacobitarum olim Ritus iſte obtinuerit, unde & quærit an apud Maronitas potius reſtitutus, quam de novo inductus dici debeat. Ad quam quæſtionem reſpondet affirmative, Unctionem etenim Sacerdotalem a Jacobitis primum expunctam coniicit, inde tempore procedente Amanuenſium quidem Maronitarum oſcitantia, & ignorantia, Jacobitarum verò ſcribarum dolo, & fraude, in Libris Eccleſiaſticis Maroniticis ſenſim ſine ſenſu deſideratam ac expunctam autumat. Argumenta, quæ pro ſua ſententia confirmanda e Libris Eccleſiaſticis profert, ſunt, quæ ſequuntur. In Officio Dedicationis Eccleſiæ, quod recitatur Dominica prima Novembris tono, *Ego ſum*, legitur ܘܛܒܥܗ ܕܡܘܪܘܢ ܕܒܚܝܠܗ ܟܗܢܐ ܡܬܚܬܡܝܢ ܘܡܬܩܕܫܝܢ. *Et Sigillum Chriſmatis, cujus virtute Sacerdotes obſignantur, & ſanctificantur.* In Pſaltæ ſeu Cantoris Ordinatione vulgata tom. 9. legitur pag. 13., (& pag. 238. ex verſione Morini) *Arma veritatis conflavit ei*, (Eccleſiæ) *Crucem ſcilicet vivam, & impreſſionem Chriſmatis, cujus Signaculo & impreſſione Sacerdotes obſignantur.*

In Chirotonia Presbyteri pag. 137. & ſeqq. ejuſd. tom. 9. legitur. *Rogamus Te . . pro ſervo tuo* N. *qui expectat donum tuum magnum per impoſitionem manuum, quam accipit a nobis in hoc inſtanti, ut conferas illi Sacerdotium, & Donum Spiritus tui Sancti, & Unge eum de Sancto tuo vivo, & commiſce eum Divinis Sacra-*

cramentis &c. In Chirotonia Epiſcopi vulgata hoc tomo pag. 43. *Complaceat etiam modo Tibi ... Et per oleum tuum, perque manus noſtras effunde Spiritum præfecturæ ſuper hunc .. Ut miniſterium exhibeat .. Et da ei .. per unctionem tuam* (ſeu oleum tuum) *lætitiam Spiritus Sancti, ut poteſtatem habeat .... Tu qui per unguentum Ordinaſti myſteria Teſtamenti novi in odorem ſuavem per Filium tuum &c.* Hìc Aldoenſis ita ratiocinatur: Spiritualis unctio, & communicatio virtutis divinæ, & Spiritus Sancti dona deſignantur in Syrorum Eccleſia per Materialem unctionem Chriſmatis, quemadmodum per materialem manus impoſitionem, per Crucis materialem conſignationem, perque alia materialia ſigna, & Sacramenta deſignantur Spirituales cum phyſici, cum morales effectus. Id autem probat adductis textibus e libris Eccleſiaſticis petitis, nam in *Ordine*, qui recitatur in conſecratione Chriſmatis hæc leguntur ܗܢܐ ܡܘܪܘܢ ܐܠܗܝܐ ܪܘܫܡܐ ܐܝܬܘܗܝ ܕܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ
ܕܒܡܛܠܠܬܗ ܡܩܕܫ ܐܪ̈ܙܐ .... ܒܝܕ ܗܢܐ ܡܘܪܘܢ ܐܠܗܝܐ ܐܪ̈ܙܐ ܕܥܕܬܐ
ܒܗ ܡܫܬܡܠܝܢ ܘܡܫܬܓܡܪܝܢ ܘܡܬܩܕܫܝܢ .
Hoc Chriſma Divinum Signum eſt Spiritus Sancti, qui ſui obumbratione ſanctificat myſteria. Per hoc Divinum Chriſma myſteria Eccleſiæ conſummantur, perficiuntur, & ſanctificantur.

Quod autem Spiritus Sanctus exteriori hoc ſigno ſeu materiali unctione ſanctificet, & dona ſua inviſibilia conferat, quemadmodum in die Pentecoſtes ſeſe communicavit Apoſtolis in ſimilitudine Linguarum ignis,

quæ

quæ viſibiliter inſederant ſuper capita eorum, patet ex ipſo Pontificali.

In Ordinationem etenim Pſaltæ tom. 9. pag. 5. Legitur: *Stupent, & mirantur ignei, cum findit Cœlos Spiritus, ut dona tribuat Epiſcopis in ſimilitudine Chriſmatis.* Quæ verba in nonnullis antiquis exemplaribus Maronitarum aliter legebantur, ſcilicet uti leguntur in Pontificali Jacobitarum, in quo exſtat Reſponſorium ad Ps. *Miſerere mei*, quod Reſponſorium præſcribitur recitandum in Chirotonia Diaconorum, Sacerdotum, & Epiſcoporum; ibi .. ܪܘܚܐ ܕܠܫܠܝ̈ܚܐ ܒܠܫ̈ܢܐ ܕܢܘܪܐ ܚܟܡ .. ܬܡܗܝܢ ܢܘܪ̈ܢܐ ܟܕ ܦܪܐ ܠܫܡܝܐ ܪܘܚܐ ܐܠܗܐ ... ܘܢܚܬ ܕܢܬܠ ܡܘܗܒܬܐ ܒܐܝ̈ܕܝ ܟܗ̈ܢܐ ... ܘܢܬܠ ܡܘܗܒܬܐ ܠܪܝܫܐ ܕܟܗ̈ܢܐ ܒܕܡܘܬܐ ܕܡܘܪܘܢ. *Spiritus, qui Apoſtolos linguis igneis erudivit.... Stupent ignei, dum findit Cœlum Spiritus Deus...& deſcendit, ut concedat donum per manus Sacerdotum... Et concedat donum Capiti Sacerdotum in ſpecie Chriſmatis.*

Textus, quos Aldoenſis citat, deſumti ex Pontificali, & potiſſimum ex altera ejus parte, quæ Diaconalis dicitur, quamque Morinus vulgavit, erant noti & ipſi Morino, unde Lectores perpendant an bene ſcripſerit. *In toto Ritu Maronitico nullum eſt unctionis indicium. In aliis porrò Orientalium Ritibus nihil prorſus eſt, quod eo vergat, aut alludat.* Sed Morinus ſubdit. *Si Unctionis occurrat mentio, intelligunt ſpiritualem.* Id ſane non diffitemur, ſed & illud adjungimus, & con-

concedimus Morino Scriptores Orientales negare Chriſtianum levitam ungi oleo compoſito, uti ungebantur levitæ antiquæ legis; unctionem Sacerdotum noſtrorum Myſticam eſſe, & nos adfirmamus, Communicationem ſcilicet virtutis Divinæ, ac Spiritus Sancti dona deſignare. Verum quid inde conficiat contra materialis unctionis uſum in Eccleſia Orientali, Eruditi homines non vident, qui cum materialem Unctionem ſymbolum eſſe Spiritualis dicant, hanc illam non excludere ajunt, quemadmodum licet Chriſtianus induat Chriſtum, & ſpirituali cingulo accingatur, atque pro Corona, & tiara accipiat Coronam laudis, & amorem Sanctum, attamen inde non ſequitur veſtes exteriores ſacras non eſſe in uſu. Sed ſatis jam de Expoſitoribus Maronitis, deque Unctionis Ritu præfati ſumus; nam & alibi, pro opportunitate, expoſitiones ipſas vulgaturi ſumus, & de Unctione cum Morino pluribus diſputaturi; unde ad aliud Præfationis caput digredior.

8. Continet itaque Tomus primam Appendicem, in qua e Synodo Libanenſi nondum typis vulgata ea deſcribimus, quæ antiquam & recentem Eccleſiæ Antiochenæ Syrorum Maronitarum diſciplinam cum aliarum Eccleſiarum diſciplina in nonnullis capitibus comparatam adtingunt, quæque Pontificalis veluti Commentaria publica haberi poſſunt: nam ex iis Clericorum officia, gradus, dignitates, & actiones facile innoteſcunt, unde & eorum ratio, quæ in Clericorum initiatione peraguntur, facile reddi poteſt. Quamobrem gratam rem me facturum eruditis, & ſtudioſis Literarum, & Religionis

Alumnis judicavi, ſi precioſa hæc monumenta iis proferrem, neque alienum ab inſtituto noſtro cenſui Codici Liturgico ſimilia publica Eccleſiarum monumenta intertexere. Tomum jam typis commiſeram cum Amicus quidam, cui ipſum percurrendum tradideram unacum manuſcripto Codice Synodi Libanenſis, duo me monuit, alterum quidem, ut laudatæ Synodi Cap. 1. 3. part. in quo de vita & honeſtatem Clericorum agitur, & Appendicis ad Synodum cap. 41. in quo Metropolitanorum, & Epiſcoporum Sedes, & limites definiuntur in executionem Canonum, qui in tomo noſtro leguntur pag. 177: recitarem. Alterum vero, ut Synodi ipſius acta, & hiſtoriam deſcriberem ac notis illuſtrarem. Docti viri deſiderio brevi Deo dante fiet ſatis, cum propediem Synodus ipſa integra lucem ſit publicam aſpectura, interim videri poteſt Catalogus Bibliothecæ Mediceæ & Laurentianæ confectus ab Archiepiſcopo Apameenſi Conſobrino meo, Cod. LXV. p. 118. ubi hiſtoriam ejuſdem Synodi, cujus ipſe promotoris munere functus eſt, perſtringit. Quod verò pertinet ad laudata Capita Synodi, illa in hac Præfatione vulgare placuit, ut voluntati Amici morem ex parte gererem. Sic itaque habet Caput 1.

„ 1. Ad omnes Eccleſiaſticos viros ſpectat, quod „ Tito præcipit (1. Tit. 2.) Apoſtolus: *In omnibus te-„ ipſum præbe exemplum bonorum Operum, ut is, qui „ ex adverſo eſt, nihil habeat malum dicere de nobis*: „ nec vituperetur (2. *Cor.* 6.) miniſterium noſtrum. Ni-„ hil eſt enim (*Trid. ſeſs.* 22. *cap.* 1. *De reform.*) quod alios

„ alios magis ad pietatem , & Dei cultum accendit,
„ quam eorum vita , & exemplum, qui ſe Divino
„ miniſterio dedicarunt. Vocati igitur in ſortem
„ Domini, intelligant Clerici ſe ſpectaculum factos eſ-
„ ſe mundo, & Angelis, & hominibus, ut mundum
„ doctrinis illuminent, homines exemplis inſtruant, &
„ Angelos virtutibus imitentur. Quod ut conſequantur,
„ non externo tantum habitu Chriſtianam modeſtiam
„ eos præſeferre oportet, ſed omnem etiam vitam, &
„ mores ita componere, ut habitu, geſtu, ſermone,
„ aliiſque omnibus rebus, nil niſi grave, moderatum,
„ ac religione plenum præſeferant; levia etiam delicta,
„ quæ in ipſis maxima eſſent, effugiant, ut, qui in eos,
„ tamquam in ſpeculum, oculos coniiciunt, ex eis ſu-
„ mant, quod æmulentur. Quum igitur, quo majo-
„ re in Eccleſia & utilitate, & ornamento hæc ſunt,
„ ita etiam diligentius ſint ſervanda, ſtatuimus, ut quæ
„ a Sanctis Patribus, & a Sacris Conciliis (*Conc. Chal-
„ cedon. can. 3. Carthagin. 3. can. 15. & Cartagin. 4.
„ can. 44. Arelaten. 2. can. 14. Matiſconen. can. 5. Ni-
„ cæn. 2. can. 16. Lateran. 4. ſub Innoc. III. ann. 1215.
„ can. 14. 15. 16.*) de Clericorum vita, honeſtate, cultu,
„ doctrinaque retinenda, ac ſimul de luxu, comeſſa-
„ tionibus, choreis, aleis, luſibus, ac quibuſcumque
„ criminibus, nec non ſecularibus negotiis ſugiendis,
„ copiosè, ac ſalubriter ſancita fuerunt, eadem in po-
„ ſterum ſub iiſdem pænis, vel majoribus arbitrio Or-
„ dinarii imponendis obſerventur.

 2. Nul-

„ 2. Nullus (*Conc. Trull. can.* 27.) eorum , qui in „ Cleri Catalogum relati ſunt , veſtem ſibi non conve- „ nientem induat , neque in civitate degens , neque iter „ ingrediens : ſed utatur veſtibus , quæ iis , qui in Cle- „ rum relati ſunt , attributæ fuere . Et Civilis quidem „ Clericorum habitus nec ſordes (*Conc. Nicæn.* 11. *c.* 16.) „ referat , nec luxum : æque enim dedecet vilis , ſor- „ didus , & neglectus , atque ambitioſus , & vanus . Sim- „ plex igitur ſit , & neceſſitati , honeſtatique congruus , „ & a Secularium veſtimentorum vanitate alienus : „ uterque autem , hoc eſt , tam interior , quam exte- „ rior (ſed maxime exterior habitus) coloris mode- „ ſtia , & formæ ſimplicitate Eccleſiaſticam referat re- „ ligionem , & a ſeculi affectato more abhorreat . Ut „ enim monent Patres Concilii (*Carthag.* 4. *can.* 45.) „ Chartaginenſis . *Clericus profeſſionem ſuam , & in ha-* „ *bitu , & in inceſſu probet : & nec veſtibus , nec cal-* „ *ceamentis decorem quærat* „ Et Concilii Agathenſis „ (*ann.* 506. *can.* 20.) *veſtimenta , vel calceamenta* „ *eis , niſi quæ religionem deceant , uti , vel habere non* „ *liceat* . Etſi enim habitus non facit Clericum , nec „ Monachum , oportet tamen Clericos (*Tridentin.* „ *ſeſs.* 14. *cap.* 6. *de reform.*) veſtes proprio con- „ gruentes ordini , coloris ut plurimum nigri vel fu- „ ſci violacei , & ex lana , vel lino , vel bomby- „ cino (non autem ex ſerico niſi expreſſa ordinarii fa- „ cultate) confectas ſemper deferre , ut per decentiam „ habitus extrinſeci morum honeſtas intrinſeca oſten-

„ da-

„ datur. Quam olim Clericorum veſtem Pontifices be-
„ nedicebant, quum primum Clericos illa induerent
„ *Veſtem nigram (Simeon Theſſalon. de Sacrament.)*
„ *Pontifex benedicens jubet initiandum induere : niger*
„ *ſiquidem color humilitatem vitæque pietatem demon-*
„ *ſtrat*. Quorum autem (*Concil. Nicæn.* II. *can.* 16.
„ *Trid. ſeſs.* 14. *cap.* 6.) tanta eſt temeritas religioniſque
„ contemptus, ut propriam dignitatem & honorem
„ Clericalem parvipendentes, veſtes etiam deferunt
„ publice laicales, pedes in diverſis ponentes, unum
„ in divinis, alterum in carnalibus; hi poſtquam ab Epi-
„ ſcopo ſuo moniti fuerint, honeſtum habitum Cleri-
„ calem illorum ordini, & dignitati convenientem, &
„ juxta ipſius Epiſcopi ordinationem, & mandatum non
„ detulerint, per ſuſpenſionem ab ordinibus coerceri
„ poſſint, & debeant. Idque de iis Clericis, qui in ma-
„ joribus ordinibus ſunt conſtituti, intelligendum eſt;
„ Diaconis, ſcilicet, ac Presbyteris, ſive cælibes ſint,
„ ſive conjugati, quos a laicis in exteriori etiam ha-
„ bitu coloris modeſtia formæque ſimplicitate, & Ca-
„ pitis tegumento diſtingui oportet. Clerici verò mi-
„ nores, etſi optandum eſſet, ut ipſis quoque aliquid
„ in Capite geſtandum præſcriberetur, quo a cæteris
„ non Clericis diſcernantur, non tamen ab Ordinariis
„ ſuſpendendi ſunt, ſi communem cum laicis habi-
„ tum gerant, dummodo ambitioſus, & vanus non ſit.
„ 3. Eccleſiaſticus habitus, Tunica nimirum, &
„ ſtola: quibus in Eccleſiaſticis functionibus uti omnino

„ de-

„ debent Clerici, mundus ſit, nitidus & decorus. Si-
„ militer habitus Sacer Diaconorum & Presbyterorum.
„ 4. Quum apud omnes Chriſtianas gentes Cleri-
„ catui Tonſura præmittatur, per ſacram hujuſmodi
„ functionem docentur Clerici Comam (*Conc. Carthag.* 4.
„ *can.* 44. *Agath. can.* 20. *Roman. ſub Gregor. II.*
„ *can.* 7.) non nutrire debere, ſed brevibus ac ſucciſis
„ capillis incedere. Hinc prolixam comam illos gerere,
„ ſtricte prohibemus. Barbam autem poſt ſuſceptum
„ ſacrum Diaconatus ordinem enutrire, ex more to-
„ tius Orientis (*Jus Orientale*) præcipimus, ſic ta-
„ men (*Conc. Mediolanen.* v.) in ſuperiore labro re-
„ cidatur, ut pili eum, qui Sacram Euchariſtiam ſu-
„ mit, non impediant. Coronam vero ex Capillis pau-
„ lulum ſuccreſcentibus in Capite ſuperius, & infe-
„ rius abraſo geſtare, Presbyteris tantùm in Pontifi-
„ cali noſtro permittitur. Atque idcirco antiquus Ca-
„ non Monachis (*Can.* 81. *ex Arabicis, qui Nicæno*
„ *Concilio tribuuntur*) præcipit. *Ne capillos nutriant*
„ *ſed totum caput radant, neve ſuper id coronam ex ca-*
„ *pillis relinquant*. Quod & de Diaconis intelligendum
„ volumus. Nec Clericos autem, nec Monachos ca-
„ pite comatos eſſe permittit canon Patrum (*Trullan.*
„ *can.* 42.) Græcorum, qui Conſtantinopoli in Trullo
„ poſt ſextam Synodum convenerunt: ſed id Eremita-
„ rum eſſe proprium decernit, qui in ſolitudine, non
„ non in cænobiis, nec in Urbibus habitant: quod
„ olim apud (Rabulæ Epiſcopi Edeſſeni canon apud
Gre-

„ Gregorium Bar-Ebreum in nomocanone de Mona-
„ chis) noſtros in Syria, & Meſopotamia Eremitas in
„ uſu fuit.

„ 5. Sacrorum Canonum ſtatutis inhærentes, mo-
„ nemus Clericos, ut inſtituti ſui memores in publicum
„ non procedant, nec aliis ſe comites præbeant, diur-
„ no, vel nocturno tempore, niſi, qua profeſſionem Ec-
„ cleſiaſticam decet, gravitate & modeſtia. Ab inde-
„ coris igitur (*Trident. ſeſs.* 22. *cap.* 1. *Apoſtol. can.* 41.
„ 42. *Laodicen. can.* 52. *Carthagin. can.* 11. *Agathen.*
„ *can.* 70. *Trullan. can.* 24. 50. 51.) ludis, ſpectacu-
„ lis, & aliis hujuſmodi ſæculi voluptatibus & ſcurri-
„ libus jocis ſe abſtineant: occluſæ illis ſint tabernæ
„ (*Apoſtol. can.* 53. *Laodicen. can.* 24.) & Cauponæ,
„ niſi forte in itinere conſtituti, ad eas divertere co-
„ gantur. Balnea (*Laodicen. can.* 30.) niſi ex neceſſi-
„ tate, & præter hominum frequentiam, non ingre-
„ diantur. Ad nuptialia (*Laodicen. can.* 53. *Agathen.*
„ *can.* 39. *Trident. ſeſs.* 21. *cap.* 2. & *ſeſs.* 22. *cap.* 1.
„ *Moguntiac. an.* 813. *can.* 10.) vel publica convivia
„ non aſſideant; ſed modeſte cænent, & prandeant,
„ ſive in privata menſa, ſive cum aliis Clericis, &
„ religioſis Laicis, frugali victu contenti, menſaſque,
„ ſi fieri poteſt, ſpirituali lectione condientes, & a co-
„ meſſationibus, & vinolentiis (*Rhemen. II. an.* 813.
„ *can.* 18.) abſtinentes: non autem inter Epulas (*Char-*
„ *tag. iv. can.* 62. *Conc. Mediolan.* I.) canant, minuſ-
„ ve inter nuptiales, aut laicales: Ubi vero præſente
ali-

„ aliquo Prælato mos eſt inter epulas aliquid a Laicis;
„ ſeu Clericis cantari, id & qua Clericos decet mo-
„ deſtia fiat, & niſi ex Eccleſiaſticis hymnis non de-
„ ſumatur.

„ 6. Per plateas Civitatis (*Chartag. iv. can.* 47.
„ 48.) & ubi nundinæ ſunt, aut populi frequentia, niſi
„ certa, & maxima Officii ſui neceſſitate, aut pro e-
„ mendo aliquid in nundinis, non deambulent. Offici-
„ nas, ubi populus convenire ſolet, ne frequentent,
„ neve ibi moram ducant ad confabulandum. Turpe
„ enim eſt Clericos, quorum converſatio in cælis eſſe
„ debet, loca nugacium, ac detractorum frequentare;
„ turpius eſt autem improborum hominum conſuetudi-
„ ne delectari, aut in publico ludo verſari, aut publice
„ ludere, & publicos Luſorum cœtus adire, nec mi-
„ nus dedecet Clericos, domi ſuæ, vel alienæ a ſe con-
„ ductæ, publicos hujuſmodi cœtus habere, aut parti-
„ cipes fieri, aut quoquomodo alios in ludum induce-
„ re. Ludorum autem hujuſmodi nomine aleas, taxil-
„ los, luſuſque omnes intelligimus, in quibus, vel
„ pro pecunia luditur, vel locum fortuna tenet, etiam-
„ ſi animi reficiendi cauſa tantum ludatur.

„ 7. Et quia non minus periculi eſt in improbo-
„ rum hominum conſuetudine, quam in lectione, abo-
„ minentur etiam Clerici libros omnes de obſcænis,
„ inhoneſtis, & vanis rebus tractantes; ſatagant autem
„ potius (can. *legun.* can. *omnem.* can. *legimus.* can.
„ *qui de menſa*, diſt. 1.) caſtos, pios, & Eccleſiaſti-

cos

„ cos auctores aſſidua manu verſare.

„ 8. Clericis omnibus (Can. *non pila* 23. *q*. 8.) „ arma domi habere non liceat, ſub pœnis Ordinarii „ arbitrio: deferre autem baliſtam, haſtas, Schope- „ tum, tela, & hujuſmodi non permittantur, niſi for- „ tè ob juſtam cauſam in itinere de licentia Epiſcopi „ & ſecreto. Nam Paulus Apoſtolus Clericos percuſ- „ ſores eſſe vetat: nec in ſui tuitione armis indigent „ ii, quos Dominus ut pupillam oculi cuſtodit, & tu- „ tiſſimum habent præſidium in conſcientia bona. Si „ autem profeſſionis ſuæ Ordinem, & gratiam divinæ „ vocationis attenderent, ab omni venandi ſtudio alie- „ ni eſſent, quibus præſtantius aliud venandi genus in- „ cumbit, animas nimirum Deo acquirendi. Sed quo- „ niam non omnis venatio Clericis per Canones inter- „ dicta eſt, declaramus, eam tantum illis licere, quæ „ fit aucupio, viſco, laqueis, & avibus illicibus. Cla- „ moroſæ autem, & ſylvaticæ venationes, (*Conc. Trul- „ lan. can.* 51. *Can. quorundam & ſeqq. diſt.* 34. *Tit. „ de Cleric. Venat. lib.* 5. *Decretat.*) quæ fiunt canibus, „ jaculo, pennis, & igne, ſtricte prohibentur.

„ 9. Mercimonia, negotiationes, conductiones alie- „ norum prædiorum, etiam per intermediam perſo- „ nam, Clerici non exerceant; neque aliis etiam Prin- „ cipibus viris ſint in famulatu in obſequiis Clericali mu- „ nere indignis, neve pro illis ſe negotiorum geſtores „ ſive factores præbeant, ſub pœnis, quæ in ſacris Ca- „ nonibus (*Apoſt. can.* 7. *Nicæn. can.* 17. *Chalcedon. can.* 3

f *San*

„ *Can. Canonum*, & *ſeqq.* 14. *q.* 4., *Can. Negotiato-*
„ *rem*, *cum ſeqq. diſt.* 88. *Cap.* 1. *Tit. ne Clerici ſe*
„ *immiſceant. Cap.* 1. & 2. *in iii. Decretal. Concil.*
„ *Lateran. iii. can.* 12.) contra Clericos negotiatores
„ conſtitutæ ſunt. Suorum verò (*Conc. Chartagin. iv.*
„ *can.* 51. 52. 53. *Congreg. Epiſcop.* 19. *Januarii*, & 5.
„ *Maji* 1593. & 25. *Novembris* 1616.) agrorum, præ-
„ diorum, & redituum curam gerere, quæque ex iis
„ proveniunt, vendere, & quæ ad illa colenda ſunt ne-
„ ceſſaria, emere, agros etiam Eccleſiaſticos conduce-
„ re, & honeſtum aliquod opificium, ſeu artem exer-
„ cere, ut habeant, quo ſuſtententur, fas illis eſt. Aſt
„ profanis ſe negotiis immiſcere, & pecuniam ſuam
„ (*Can. Apoſt.* 43. *Nicæn.* 17. *Carthag. iv. can.* 67.
„ *Trullan. can.* 9. 10.) ad uſuram dare, vilem artem,
„ qualis eſt Cauponaria, Tonſtrina, & aliæ hujuſmo-
„ di, exercere, ſacri Canones vetant; nec id Epiſco-
„ pus cuipiam Clericorum permittat.
„ 10. Et quia Clericos (*Cap. Sententiam*, & *cap.*
„ *fin. ne Clerici vel Monachi. Conc.* 1. *Mediolan. p.* 2.
„ *tit. de Negotiis. Conc. Rom. ſub S. Silveſtro cap.* 16.
„ *can. duo ſunt*, 12. *q.* 1. *Cap. Cupiens*, *cum ſeqq.* 21. *q.* 3.
„ *Cap. Sacerdotibus*, *ne Clerici. Apoſt.* 80. *Chalcedonen.*
„ *can.* 3. *Agathen. can.* 32.) precibus & Orationibus va-
„ care debere, ipſa divinæ ſortis ſuæ ratio poſtulat,
„ nemini liceat in Tribunalibus laicis aliorum cauſas
„ agere ſine licentia Ordinarii: proprias tamen ipſo-
„ rum, nec non domeſticorum lites, piorum loco-
„ rum,

„ rum, & miſerabilium perſonarum tantum, non ta-
„ men quæſtus cauſa, in civili judicio patrocinari per-
„ mittuntur. Tutelam quamvis per tabulas teſtamen-
„ tarias eis deſignatam, non ſuſcipiant, niſi conſangui-
„ neorum favore, idoneo altero tutore carentium. Nul-
„ lum de re Criminali, niſi Epiſcopus poteſtatem fe-
„ cerit, apud Judicem laicum accuſent, imo nec te-
„ ſtimonium perhibeant, niſi prius coram Epiſcopo,
„ aut ejus Vicario juraverint in veritatem, & niſi de
„ ſua, ſuorum, aut Eccleſiæ injuria vindicanda agatur.
„ Cum vero damnum aliquod in bonis paſſi fuerint, tum
„ abſque Ordinarii licentia forum, ſi velint, laicale
„ adeant; at vero, ſi cauſa, ob quam accuſant, gra-
„ vis ſit, & ea, quæ acri pæna puniri poſſit, poenam
„ illam, quæ ſanguinis eſt intelligenda, ſe non inten-
„ dere proteſtentur. Medicinam autem, aut Chirurgiam
„ facere, ſine expreſſa Reverendiſſimi Domini Patriar-
„ chæ facultate, nemini liceat. Ne pro aliis fide jubean-
„ tur, aut in ſecularibus negotiis teſtes ſint, ubi agitur de
„ re criminali, neque in profanis negotiis Notariatus ſeu
„ Tabellionatus officium exerceant: poſſunt autem eſſe
„ teſtes in contractibus, & teſtamentis, & in Cauſis
„ civilibus, nec non Notarii in cauſis Eccleſiaſticis.

„ 11. Clericos (*Nicæn.* 1. *can.* 3. *Interdixit*, *Char-*
„ *tagin. i. ann.* 348. *can.* 3. *Chartagin. iii. ann.* 393.
„ *can.* 17. *&* 25. *Carthag. iv. ann.* 398. *can.* 46. *Can.*
„ *Hoſpitiolum diſt.* 32. *Can. Epiſcopis diſt.* 34. *Can.*
„ *Fœminas diſt.* 81. *Cap. ſi quiſquam*, *de Cohabitat.*

„ *Cleric. & Mulier.*) cum mulieribus contubernium
„ habere, Eccleſiaſticæ leges omnes execrantur, & a
„ conſaguineis etiam, & Affinibus cavendum ſæpe ſua-
„ dent. Nos igitur ſacrorum Canonum ſtatutis inhæ-
„ rentes, præcipimus, ut mulieres quaſcumque, præter
„ conjunctas in primo & ſecundo conſanguinitatis, & Af-
„ finitatis gradu, non retineant domi; nec ancillas etiam
„ ac famulas ad domeſtica ſervitia recipere poſſint ad
„ cohabitandum, etiam prætextu ætatis jam maturæ,
„ provectæ, aut ſenioris, ſine expreſſa Epiſcopi facul-
„ tate. Si quam autem aliam, vel conſanguineam, vel
„ Affinem admittere velint, Epiſcopum pro impetran-
„ da licentia adeant, quam nullatenus obtinere debeant,
„ ſi ea ſit mulier, de qua minus æqua ſuboriri poſſit
„ ſuſpicio. Famula item morum probitate commenda-
„ ta ſit, ætatemque 50. annorum excedat, nec ſine li-
„ centia Epiſcopi ad ſervitium admittatur; qui eandem
„ licentiam non denegabit, certior redditus de illius vi-
„ ta, moribus, ætate, & qualitate; quod intelligi
„ volumus etiam de illa, quæ ad ſervitium admittitur
„ conſanguineorum, cum quibus convivunt Eccleſiaſti-
„ ci, ſive ii cælibes ſint, ſive conjugati, ſive Vidui:
„ omnibus enim præcipit canon de non cohabitando cum
„ ſuſpectis mulieribus.

„ 12. Nullus (*Concil. Mediolanen.* 1. & 2.) Cle-
„ ricus docere audeat puellas aut mulieres etiam il-
„ luſtres legere, ſcribere, canere, aliaque id genus,
„ ſine Epiſcopi licentia, ſub pænis ejuſdem Epiſcopi ar-
bitrio,

„ bitrio, neve ſint in earum famulatu, aut præcurſores, ſive aſſeclæ fæminarum, nec eis diſcumbentibus aſſiſtant. Epiſcopus autem gravioribus pœnis animadvertat in eos, qui cum fæminis ſiniſtræ famæ diverſari, confabulari, aut ſuſpecta loca adire non erubeſcent.

„ 13. Unuſquiſque Clericus libros habeat ad exercitium ſui Ordinis neceſſarios. Divinis Officiis tam diurnis, quam nocturnis aſſidue in Eccleſia interſint, ac præſertim diebus Dominicis & feſtis, niſi ob aliquam infirmitatem ſint legitime impediti; quo caſu, quemadmodum & horas in diebus ferialibus, Domi totum Officium ea, qua par eſt, devotione corporiſque compoſitione recitent. Sacerdotes ſemel ſaltem in Hebdomada Sacrum faciant; item Diaconi in ſolemni Feſtorum, ac Dominicarum Liturgia, cui illos miniſtrare decet, ſacram communionem percipiant: reliqui Clerici ſemel in menſe, atque occurrentibus anni ſolemnitatibus, in Miſſa ſolemni communicent. In optimis ſtudiis, ſacriſque literis diligenter ſe exerceant: ſacros Ritus, Rubricas, & coeremonias calleant: Cantum Eccleſiaſticum addiſcant: divinaque munia in Eccleſiis cum pietate obeant, & majeſtate. Concionibus, Catechiſmo, & Doctrinæ Chriſtianæ, ſicubi fiunt, interſint, & ipſi etiam parati ſint ad tradenda plebi fidei rudimenta: Cuncti proinde habeant doctrinam parvam a Cardinali Bellarmino

„ no ſcripturam, ab eaque fidei dogmata rudiorum ani-
„ mis inſerenda decerpant.

„ 14. Epiſcoporum (*Trident. ſeſs.* 14. *cap.* 4. *de*
„ *Reform.*) cura eſt in mores, & vitam ſubditorum
„ ſibi Clericorum inquirere, eorumque exceſſus, cri-
„ mina, & delicta, quoties, & quando opus fuerit,
„ redarguere, corrigere, & caſtigare. Hoc igitur Præ-
„ latis præcipue cavendum erit (*Trident. ſeſs.* 14. *cap.* 1.
„ *de reform.*), ne Clerici, præſertim ad animarum cu-
„ ram conſtituti, criminoſi ſint, neve inhoneſtam vi-
„ tam ipſis conniventibus ducant: Nam ſi eos pravis
„ & corruptis moribus eſſe permittant, quo pacto lai-
„ cos de ipſorum vitiis redarguent, qui uno ab eis ſermo-
„ ne convinci poſſent, quod Clericos ipſis patiantur eſſe
„ deteriores? qua etiam libertate laicos corrigere po-
„ terunt Sacerdotes, cum tacite ſibi ipſi reſpondeant,
„ eadem ſe admiſiſſe, quæ ipſi corripiunt? monebunt pro-
„ pterea Epiſcopi ſuos Clericos, iu quocumque Ordine
„ fuerint, ut converſatione, ſermone & ſcientia com-
„ miſſo ſibi Dei populo præeant: memores ejus, quod
„ ſcriptum eſt: Sancti eſtote, quia & ego Sanctus ſum:
„ & juxta Apoſtoli vocem: nemini dent ullam offen-
„ ſionem, ut non vituperetur miniſterium noſtrum; ſed
„ in omnibus exhibeant ſe ſicut Dei miniſtros.

„ 15. Clericis conjugatis ſalutarem admonitionem
„ reliquit Apoſtolus Paulus in Epiſtola ad Titum in hæc
„ verba (*Tit.* 1. *verſ.* 7.) *Hujus rei gratia reliqui te Cre-*

„ *tæ*,

„ *tæ, ut ea, quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per*
„ *Civitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi. Si*
„ *quis ſine crimine eſt, unius uxoris vir, filios habens*
„ *fideles, non in accuſatione luxuriæ, aut non Subditos*
„ Et in 1. ad Timotheum (*Cap.* 3.) *Oportet ergo Epi-*
„ *ſcopum irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris virum, ſo-*
„ *brium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem,*
„ *doctorem, non vinolentum, non percuſſorem, ſed mo-*
„ *deſtum, non litigioſum, non cupidum; ſed ſuæ domui*
„ *bene præpoſitum, filios habentem ſubditos cum omni*
„ *caſtitate. Si quis autem domui ſuæ præeſſe neſcit,*
„ *quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit?* Et infra
„ (verſ. 12.), *Diaconi ſint unius uxoris viri: qui fi-*
„ *liis ſuis bene præſint, & ſuis domibus*. Si igitur de-
„ cet Clericos nemini ullam offenſionem dare, ut non
„ vituperetur eorum miniſterium; curare etiam de-
„ bent, ut filiis, domibuſque ſuis bene præſint, ne ul-
„ lum ex familia ſua ſcandalum oriatur. Filios, quos
„ ad ſtatum Sacerdotalem aptiores viderint, opportu-
„ ne erudiant, ac litteris inſtruant, vel ad alios mittant
„ erudiendos. Uxoribus vaſorum ſacrorum contactum,
„ & ad Altare ingreſſum non permittant quocumque
„ prætextu. Quæ autem de Clericorum habitu, vita,
„ & moribus dicta ſunt, ea de familia illorum intel-
„ ligenda volumus. Epiſcopi verò in Electione, & or-
„ dinatione miniſtrorum Eccleſiæ non reſpiciant ad car-
„ nem, & ſanguinem, neque permittant Eccleſias fieri
„ hæreditarias, filioſque etiam minus dignos patribus

„ ſucce-

,, ſuccedere, aliis dignioribus omiſſis; ſed antiquum il-
,, lum (*Trullan. can.* 33.) Patrum canonem recolant,
,, & obſervent, quo decernitur, *ut deinceps non liceat*
,, *iis, qui volunt aliquos ad Clerum adducere, ad*
,, *ejus, cui manus imponitur, genus reſpicere*: quemad-
,, modum nonnulli faciebant, qui eos ſolum in Cleri or-
,, dinem referebant, qui ex genere Sacerdotali eſſent.
,, *Sed examinantes, an digni ſint juxta expoſita in ſa-*
,, *cris Canonibus Decreta, in Cleri Catalogum referri,*
,, *ut eos Eccleſiaſticè promoveant ſive ſint ex majoribus*
,, *ſuis Sacerdotibus, ſive non.*

,, 16. Quoniam ad reparandam in multis partibus
,, lapſam Eccleſiaſticorum diſciplinam Clemens (S. Con-
,, greg. Concilii de mandato Clementis XI. die 1. Fe-
,, br. 1710.) Papa XI. præcepit omnibus animarum Re-
,, ctoribus, Confeſſariis, aliiſque Sacerdotibus, & Cle-
,, ricis, ut quotannis per dies decem Spiritualibus exer-
,, citiis operam navent, liberam tribuens vacandi ab
,, officio per id tempus cuilibet facultatem, & plena-
,, riam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam.
,, Nos hoc ſaluberrimum ſtudium promovere, & fir-
,, mare cupientes, monemus, ut in unaquaque Diæ-
,, ceſi deſignent Epiſcopi monaſterium aliquod ſtrictio-
,, ris obſervantiæ, in quo quotannis certo menſe con-
,, veniant Clerici, ut exercitiis Spiritualibus vacent, in
,, quibus ad perfectam Clericalis vitæ obſervantiam pe-
,, culiaribus hortamentis omnes inſtruantur, ac inflam-
mentur.

17. De-

„ 17. Debitum Eccleſiaſticis perſonis honorem „ non ſolum reſtitui, ſed etiam perpetuo ſartum te„ ctum a quibuſcumque impedimentis conſervari „ cupientes; præter ea, quæ ipſis Eccleſiaſticis præ„ ſcripta ſunt, ut ſibi mutuo deferant debitæ reve„ rentiæ officia, ſæculares quoque Principes, & Lai„ cos quoſcumque officii ſui admonemus, confiden„ tes, eos, ut tamquam Catholicæ fidei profeſſo„ res, jus ſuum Eccleſiæ, Clericiſque ac Monachis „ reſtitui non tantum conceſſuros, ſed etiam ope„ ram ſuam adhibituros, ut Laici quicumque ac „ præſertim ſubditi debitam erga Clerum, Parochos, „ & Superiores ordines, reverentiam exhibeant, eo„ que, quo par eſt, obſequio Eccleſias, & Monaſteria „ colant, nec permiſſuros, ut a quoquam ſive fide„ li, ſive infideli, Eccleſiarum, Monaſteriorum, „ Clericorum, & Monachorum immunitas violetur. „ Quamobrem omnibus, & ſingulis qui Chriſtiana „ profeſſione cenſentur, in memoriam revocamus, „ quæ olim a Paulo V. ſummo (Ep. dat. an. 1610. „ VI. Id Mart. Pontif. VI. initium; *Fraternitatis tuæ* „ *literas*) Pontifice ad Joannem noſtrum Patriar„ cham ſuper Eccleſiaſticorum Immunitate conſtitu„ ta ſunt, ut illa executioni accuratiſſime manden„ tur. *Præterea Sacrorum Canonum Decreta illa*, in„ quit, *quæ Eccleſiaſticis perſonis in ſortem Domi„ ni vocatis debitum honorem habendum eſſe decer„ nunt, & graviſſimas pœnas tranſgreſſoribus irro-*

„ *gant, inviolata apud Nationem veſtram vigere, „ ut par eſt putabamus. Verum magno animi noſtri „ dolore accepimus, non raro contra illa committi, ac ho- „ ſtis humani generis ſuggeſtione tam Sæculares, quam „ Regulares Eccleſiaſticas perſonas, Laicorum Maroni- „ tarum injuriis affici, ac violentas manus non raro „ perpeti, eoſdemque tamquam Laicos, tributis, & ve- „ ctigalibus angariari, immunitatis Divino jure il- „ lis conceſſæ nulla habita ratione: propter quam „ non dubitamus irrideri vos ab inimicis veſtris, „ & quod deterius eſt, Divinam Majeſtatem gra- „ viſſime offendere, & ad iracundiam illam provo- „ care. Quare Fraternitatem tuam hortamur, & eni- „ xe in Domino requirimus, ut ſcelera ejuſmodi evel- „ lere a populo iſto omnino procures, neque permittas „ illos in tantis afflictionibus Deum oblivisci, ne ag- „ gravet in dies magis ſuper eos manum ſuam.* „ Decernimus igitur, & præcipimus, ſacros Cano- „ nes (*Concil. Trident. ſeſſ.* 25. *Cap.* 20. *de Reform.*) „ & Concilia generalia omnia, nec non Apoſtolicas „ Sanctiones, in favorem Eccleſiaſticarum Perſonarum, „ liberatis Eccleſiæ, & contra ejus violatores edi- „ tas, exacte ab omnibus obſervari debere. Præte- „ reaque admonemus omnes, & ſingulos Principes, „ ut quo largius bonis temporalibus, atque in alios „ poteſtate ſunt ornati, eo ſanctius quæ Eccleſia- „ ſtici juris ſunt, tamquam Dei præcipua ejuſque „ patrocinio tecta, venerentur, nec ab ullis Subdi-

„ tis

„ tis, maximeque ipſorum Principum miniſtris, & „ aliis infidelibus viris, lædi patiantur: ſed ſevere in „ eos, qui Eccleſiæ libertatem, immunitatem, at- „ que juriſdictionem impediunt, animadvertant, ipſi- „ que cæteris exemplo ad pietatem, Religionem, Ec- „ cleſiarumque protectionem exiſtant: adeoque ea in re „ quiſque Officium ſuum ſedulo præſtet, quo cultus „ divinus devote exerceri, & Prælati, cæterique Cle- „ rici ac Monachi in Ædibus, & officiis ſuis quieti, „ & ſine impedimentis, cum fructu, & ædificatio- „ ne populi permanere valeant.

„ 18. Quum prima autem, & potiſſima lex im- „ munitatis, ſacrarum perſonarum conſervationi inten- „ ta ſit, quas ab omni vi, tum privata, tum publi- „ ca tuetur, & protegit, ita ut citra excommuni- „ cationis pænam a nemine inique lædi poſſint, nec „ ſæculari auctoritate capi, vel violenter detineri: „ decretis Sanctorum Patrum, & Conciliorum inhæ- „ rentes (can. *Si quis ſuadente* 17. q. 4. Cap. *ſu- „ per eo*, & ſeq. de ſent. excommun.), Statuimus „ ut quicumque ſuadente Diabolo in Clericum, vel „ Monachum violentas manus injecerit, ſit anathe- „ matis vinculo ipſo facto innodatus, cujus abſolu- „ tio, ſi Patriarchæ, Epiſcoporum, eorumq. Presby- „ terorum ſit percuſſio, Reverendiſſimo Domino Pa- „ triarchæ reſervata eſt. Eandem pœnam incurrunt „ Laici, qui Clericos, etiam citra læſionem, detru- „ dunt in vincula, aut in publica, vel privata Cu-

 „ ſtodia

„ ſtodia violenter detinent, eorumque Fautores, ipſis
„ conſentientes: vel operam ſuam quomodolibet cum
„ iis conferentes: ii quoque, qui publica auctoritate
„ prætextu Officii directe, vel indirecte vel quo-
„ modocumque perſonas Eccleſiaſticas (Martin. v.
„ Conſtit. 10. *Ad reprimenda*) quaſcumque ad ſæcu-
„ lare judicium, etiam conſentiente reo, contra
„ ſacrorum Canonum præſcriptum, provocare, vel
„ trahere præſumunt.

„ 19. Sub Anathematis poena (Conc. Lateran.
„ ſub Leon. x. ſeſs. 9. cap. *Clericis*, Cap. *non minus*
„ Cap. *Adverſus*. De Immun. Cap. *Quamquam*, de
„ Cenſ. in 6. Clem.) Vetitum eſt vectigalia, & tri-
„ buta exigere; nec non quæcumque alia onera Cleri-
„ cis, ac Eccleſiaſticis rebus imponere. Ne ſponte
„ quidem illis permittitur aliquid ſolvere; nec Lai-
„ cis a ſponte ſolventibus titulo tributi, aut vectiga-
„ lis illud exigere & accipere etiam ſine vi, niſi de
„ Epiſcopi conſenſu, & obtenta a Reverendiſſimo
„ Domino Patriarcha licentia. Ubi vero nedum ſua-
„ det utilitas, ſed ipſa jubet neceſſitas conferre ali-
„ quid in publicos uſus, vel pro agris, & prœdiis
„ Eccleſiarum, & Monaſteriorum, cum feren-
„ do oneri pares non ſunt laici, vel cum Guberna-
„ tores infideles de certa ſumma quotannis perſol-
„ venda provincias taxant; onus non ſubeant Cleri-
„ ci, vel Monachi, niſi Epiſcopis conſultis, &
„ obtenta Reverendiſſimi Domini Patriarchæ facul-

„ tate,

„ tate. Sciant autem Civiles Magiſtratus, Excom-
„ municationem latæ ſententiæ iis inflictam eſſe, qui
„ editis ſtatutis, aut pravis inductis conſuetudinibus
„ libertatem Eccleſiaſticam violant, & qui ad ea ſta-
„ tuenda, inducenda, vel ſervanda, utcumque operam
„ contulerint, aut auxilium, conſilium, favorem
„ præſtiterint. Et, ſi non ſingulares perſonæ, ſed
„ univerſitates Civitatum aut locorum iſta attenta-
„ verint, ſubjacent Interdicto.
„ 20. Excommunicationi (Gregor. XIV. Conſtit.
„ *cum alias*. Cap. *Definivit*. Can. *Fratres*, & ſeqq.
„ 17. q. 4.) latæ ſententiæ Reverendiſſimo Domino
„ Patriarchæ reſervatæ ſubjacent etiam illi, qui in
„ omnes perſonas, ac præſertim reos ad Eccleſiam
„ confugientes manus iniiciunt, aut illos capiunt,
„ conſtringunt, extrahunt, & rapiunt in carcerem:
„ imo iiſdem pœnis ſubjacent, qui prohibent, quo-
„ minus ad eos alimenta, veſtes, cæteraque ad vitæ
„ ſuſtentationem neceſſaria deferantur. Item, qui Ec-
„ cleſiam more caſtrorum circumvallant, obſident,
„ obſervant, ne inde elabi poſſit reus: & qui incuſſo
„ metu, aut vi eum in fugam conjiciunt; & qui do-
„ lo & fraude, blandis quoque verbis, vel promiſſa
„ ſecuritate, ad deſerendam Eccleſiam alliciunt. Nec
„ verò ſolum majores Eccleſiæ, ſed ipſa ſacella, &
„ oratoria, dummodo fuerint divinis obſequiis depu-
„ tata, ſicut etiam ædes Epiſcopi, Monaſteria, &
„ ſacra Religionis loca, quamvis ſecularia, quæ pie-

„ tati,

„ tati, & religioni deſerviunt, ut Hoſpitalia paupe-
„ rum, eadem gaudent immunitate, & Aſyli hono-
„ re: quæ immunitatis ſpatia ad portas, ad gradus,
„ ad veſtibula, ad atria Sacrorum locorum exten-
„ duntur. Ne autem foveantur peccata, volumus
„ confugas intra Eccleſiam ſupplices, non armatos eſ-
„ ſe; neque ibi cubare, & edere, niſi alium non
„ habeant locum immunem ad hæc officia. Res de-
„ niq. omnes in Eccleſiam deportatæ gaudent bene-
„ ficio immunitatis, ut ſupra: ne tamen fraudibus
„ aperiatur aditus ſub immunitatis prætextu, graviſ-
„ ſimis pænis pro gravitate Culpæ arbitrio Epiſcopi
„ luendis, Rectoribus Eccleſiarum inhibemus, ne a
„ publicorum vectigalium fraudatoribus, aut aliena-
„ rum rerum prædatoribus eo invehi aut reponi per-
„ mittant merces vetitæ invectionis, aut res furto
„ ablatas, cum publicorum redituum detrimento, &
„ privatorum perſonarum damno, & ſacræ ædis de-
„ decore.„

Hactenus Libanenſis Synodi Caput I. P. III. recitavi, ut Amici voluntati obſequerer, jam caput 41. Appendicis recito, ſic itaque habet.

Metropolitanorum & Epiſcoporum Maronitarum ſedes, & limites.

PAtriarcha Antiochiæ, ac totius nationis Maronitarum ſedem habet in monte Libano in cænobio, quod Canubinenſe dicitur; ſub eo erant Archiepiſcopi, & Epiſcopi ſequentes.

1. Tyri.	9. Laodiceæ.
2. Damaſci.	10. Apameæ.
3. Cypri.	11. Arcæ.
4. Alepi.	12. Eden.
5. Beryti.	13. Sareptæ.
6. Tripolis.	14. Paneadis.
7. Botri.	15. Lyſtræ ſeu Bybli.
8. Aco ſeu Ptolæmaidis.	16. Neapolis.

Sed in Synodo montis Libani die 30. Septembris an. 1736. decreverunt Patres, ut Maronitarum dioeceſes in poſterum ad octo tantum redigerentur, ſalva Reverendiſſimo Domino Patriarchæ Epiſcopos nonnullos titulares ordinandi poteſtate, Videlicet.

1. Alepi, ſeu Beroeæ: & adiacentium locorum.
2. Tripolis, hujus Pontificis juriſdictio extenditur a Tripoli, & Zauia Ad Arcam, Balaneam, Aradum, Orthoſiadem, Gabalam, Laodiceam, uſque ad fines Alepi.
3. Bybli, & Botri. Hujus Pontificis juriſdictio extenditur

ditur in diæceſes Bybli, Botri, Acuræ, Diaralamarj, & Regionis Biſarajæ.

4. Hieliopolis, ſeu Baalbech. Hujus juriſdictio extenditur in diæceſes Heliopolis, & Phatuchæ in Bybliensis regionis confinio, & dimidiæ partis ditionis Gazirenſis, cujus caput Guſta, & Gazir.

5. Damaſci. Hujus juriſdictio extenditur in diæceſim Damaſcenam, nec non ampliatur ad alteram dimidiam partem ditionis Gazirenſis, cujus caput Agelton; & complectitur præterea Baſconta, Zuc-Charabam, & Zabbugam.

6. Cypri. Hujus juriſdictio complectitur univerſa Inſulæ illius caſtella: ac præterea in Choſroena regione habeat Pacſajam, Betſcebabam, earumque villas, nec non villas Choſroenæ uſque ad Pontem Beryti.

7. Beryti. Hujus juriſdictio extenditur a Beryto uſque ad Mathanar & Giordam, & Algarbam, & Sciaharam Mathanæ, & uſque ad Pontem Fluvii Cadi, ſeu Tamyris.

8. Tyri, & Sidonis. Hujus juriſdictio complectitur Sidonem, Tyrum, earumque villas, nec non ſuph, Bacaam, Vallem Tainæ, & adiacentes terras a Fluvio Tamyri uſque ad S. civitatem Hieruſalem.

Monaſteria in Choſroene ſita ad certos Epiſcopatus perpetuò pertinentia.

1. Monaſterium S. Artemii, vulgò Marſcellitæ ad Epiſcopum Bybli, & Botri.

2. Mo-

2. Monaſterium S. Sergii in Raiphone ad Epiſcopum Heliopolis.
3. Monaſterium S. Antonii in Ainvarca ad Epiſcopum Beryti.
4. Monaſterium S. Antonii in Bacaata ad Epiſcopum Cypri.
5. Monaſterium S. Joannis in Aras ad Epiſcopum Damaſci. „

Hactenus e Libanenſis Synodi Volumine ea depromſi, quæ ad illuſtrandam Antiochenam Syrorum Maronitarum diſciplinam, & Antiquam ſicubi collapſam reſtituendam, & reformandam prudentiſſime a Prælatis Maronitis in Monaſterio S: Mariæ de Loaiſa diebus 30. Septembris, 1. & 2. Octobris anni 1736. Præſente Ioſepho Simonio Aſſemano Patruo meo Ablegato Apoſtolico, fuerunt conſtituta. Plura ſane dicenda nobis occurrerent pro Antiochena Syrorum diſciplina magis magiſque illuſtranda, & potiſſimum de Eccleſiaſticæ Hierarchiæ apud omnes Chriſtianas Eccleſias, quin & apud Judæos, ac Gentiles, origine, progreſſu, officiis, privilegiis, & libertatibus; de Concordia Imperii cum Sacerdotio, de quibus doctiſſima volumina implerunt non pauci, nec obſcuri nominis in Orbe Literario, Scriptores Antiqui, ac Recentes, ſed cum hæc in Inſtitutionibus noſtris Eccleſiaſticis explicaturi ſimus, & longiori calamo in peculiari *Diſſertatione de Hierarchia Chriſtiana*, quam per otium ſcribimus, & ſi

ſi vires ſuppetent, perfectam ſuiſque abſolutam numeris vulgare cogitamus, illuſtraturi ſimus, hinc iis miſſis, reliquum jam eſt, ut de 2. Appendice verba faciam, & ita tertium Præfationis caput concludam.

Altera hæc Appendix repreſentat Cl. Morini verſionem Chirotoniæ Epiſcopi, & Conſecrationis Patriarchæ; ſubiiciuntur ſuis locis adnotationes, quibus Doctus hic ſcriptor difficilia quædam, & obſcura tam ratione textus, quam illius, Syrorum ſcilicet, Eccleſiæ Rituum, explicare, & illuſtrare pertentat. Conſilium noſtrum iterum vulgandi Morini editionem, & noſtram ſententiam de ipſius opere inſcripto de Sacris ordinationibus, expoſuimus in Præfatione Partis primæ, & in altera Præfatione partis ſecundæ Libri 8. Codicis Liturgici, quare eadem repetere ſupervacaneum ducimus, Lectores præcor attente legant, quæ ibidem diximus, potiſſimum in Præfatione partis 2. a pag. XXXVII. illa etenim & huic Appendici ex æquo conveniunt. Syriacum igitur ejus textum non recito, omnes verſionis errores non adnoto, quædam, ut plurimum italo Charactere, ſubieci verſioni, & aliquando adnotationibus, ut textus inclareſceret, vel Ritus illuſtraretur; pluribus notis, & correctionibus non ſtudui, quod Lectores ex collatione Moriniani laboris cum verſione noſtra, & Appendice prima, facile deprehendere poſſint, quæ ſit Syrorum Maronitarum vera ac genuina diſciplina, qui Ritus integri, quæ

quæ Cæremoniæ ſanctæ. Adiecimus a pag. 352. textum Syriacum, & verſionem ipſius, quoniam in noſtro hoc volumine deſiderabatur, & Morini textus, ac verſio ſcatebant mendis: unicum ſpeciminis loco adnotare hoc placet: in Syriaco exemplari Patriarcha apprehendit Baculum Paſtoralem, eoque benedicit populum, Morinus cum male legiſſet vocem Syriacam ܡܘܪܢܝܬܐ, quæ forte in Codice, quem præ manibus habuit brevitatis ergo ſcripta erat ܡܘܪܢ vel ܡܘܪܐ, illam reddidit, nullo quidem ſenſu, Chriſma: unde & ita cæremoniam exhibuit. *Poſtea eum adducunt ad portam Altaris, ubi univerſum populum obſignat Chriſmate*. Cum cæremonia ſonet, Patriarcham univerſum populum obſignare baculo Paſtorali: Illud autem Morino vitio damus, quod, poſita lectione, & verſione ab ipſo probata, & facta, pernegaverit unctionis Chriſmalis uſum apud Syros, ſi enim Chriſmatis vaſculum defertur in Conſecratione Patriarchæ, ſi in fine Patriarcha illo populum obſignat, facile adparet uſus Chriſmatis in Conſecratione ſaltem Patriarchæ & Metropolitani, ac Epiſcopi ordinatione a Reverendiſſimo Patriarcha peracta (ut ipſe obſervat), alias quorſum mentio Chriſmatis, quorſum obſignatio facta populi cum Chriſmate? Sed hæc innuiſſe ſatis eſto, neque enim intentio eſt Morini verſionem caſtigare, & errata Typographorum, ac amanuenſium cenſoria virga emendare, cum & propria edocti experientia a mercenariis hujuſcemodi hominibus impetrari non poſſit,

ſit, ut vel noſtras recenſiones, correctioneſque pertinaci labore confectas rite ſervent; illas proinde & nos Benevolorum lectorum judicio & correctioni ſubjecimus; ſi Deus vitam dederit, Codicis Liturgici indices, & recenſiones, correctioneſque in ſupplemento dabimus, uti & in priori Tomo promiſimus. Cænula ergo hac noſtra qualicumque contentus eſto, benigne Lector, ferculum alterum propediem tibi apparabimus; ſi noſtros, Typographorumque conatus ac ſtudia probaveris, atque juvare non deſtiteris; illud autem tibi certum ſpondemus, nihil nos tibi præparaturos, niſi quæ decent ſanam Doctrinam, nec enim noſtra proferimus, ſed Eccleſiæ Tabulas, ejus diſciplinam, vale.

CO-

CODEX LITURGICUS ECCLESIÆ UNIVERSÆ

LIBER VIII.

DE ORDINE

PARS III.

SYRORUM MARONITARUM SACRÆ, AC MAJORES ORDINATIONES.

ITEM CHIROTONIA,

QUA PERFICITUR EPISCOPUS, ET METROPOLITANUS, ATQUE GRADUS SUBLIMES SACERDOTII.

ܬܘܒ ܟܝܪܘܛܘܢܝܐ ܕܒܗ ܡܫܬܡܠܝܢ ܐܦܝܣܩܘܦܐ

ܘܡܝܛܪܦܘܠܝܛܐ ܘܕܪ̈ܓܐ ܪ̈ܡܐ ܕܟܗܢܘܬܐ ܀

Cum autem dat Chirotoniam, & recitat orationem, unumqnemque ſecundum gradum ſuum appellat. Primum probetur nitide, tradeptque ei Diœceſani ejus ſubſcriptiones ſuas (1).

ܘܟܕ ܝܗܒ ܟܝܪܘܛܘܢܝܐ ܘܡܩܪܐ ܨܠܘܬܐ ܠܟܠ ܚܕ ܚܕ ܒܕܪܓܗ ܩܪܐ ܠܗ. ܩܕܡ ܢܬܒܚܪ ܫܦܝܪ ܘܢܬܠܘܢ ܠܗ ܐܢܫ̈ܐ ܕܡܕܝܢܬܗ ܚܘܬܡ̈ܝܗܘܢ ܀

(1) Arabica expoſitio ſubjecta caractere Syriaco ita habet: ſignificat, quod ritu iſte gradibus conveniat, & communis ſit omnibus Prælatorum, ſive Epiſcopi, ſive Archiepiſcopi ſint, qui electi fuerint ex gradu Sacerdotii; quia Ordo omnium unus eſt, & diſcrimen in officio Prælaturæ tantummodo: Attamen debet Synodi Princeps in hora Impoſitionis manus, & Appellationis, deſignare unumquemque eorum nomine dignitatis eidem convenientis. Electus autem ad hunc venerabiliſſimum gradum probetur primum diſtinctè, an Sanctus & dignus illo ſit, quantum poſſibile eſt & exigunt Canones Sanctæ Eccleſiæ: item an populo talis diœceſis gratus ſit & acceptus, eique tradiderint ſubſcriptiones ſuas in teſtimonium quod ipſe dignus ſit, & quod ſub ejus obedientia vivant.

[illegible]

Canon SS. Apoſtolorum.

Nunc ergo nos XII. Apoſtoli Domini convenientes hos ordines Eccleſiaſticos definimus vobis, poſtquam elegimus vaſa electa Apoſtolos ſocios noſtros Paulum & Jacobum Epiſcopos, & hos reliquos ſeptem Diaconos. Primum dico Ego Petrus. Ille, cujus eſt chirotonia, ſicut præordinavimus, omnino ſine macula ſit, bonus, & ab omni iniquitate purus. Cumque fuerit nominatus, & placuerit, congregabitur populus cum Presbyteris, & qui Congregantur Epiſcopi in die Dominicæ; Is autem, qui aliis honorabilior eſt, interrogabit Populum, & Sacerdotes, an ille, qui eligitur ab eis, dignus ſit Principatu; quod ſi eo contenti fuerint, addet interrogans eos, an teſtimonium ab omnibus illi perhibeatur, quod dignus ſit hac magna, & perfecta dignitate, & poſſideat rectam erga Deum Religionem, deinde an rectitudinem obſervet erga omnes homines. Poſtea interrogabit de omnibus moribus ejus, an ſint ſine macula. Et omnes inſimul teſtimonium illi reddant

dant in veritate, quod talis ſit: porro teſtati ubi ſunt, quod talis ſit ſine acceptione perſonarum, imo quaſi coram Deo Judice, & Chriſto, ac Spiritu Sancto, & omnibus Sanctis Spiritualibus, qui miniſtrant ei etiam documentum accipiat, an dignus ſit miniſterio in veritate, nam in ore duorum vel trium teſtium ſtat omne verbum; & exigent conſenſum & cum plene conſenſerint, obtemperabunt ei. Ubi autem factum fuerit ſilentium, unus e primis Epiſcopis oblationem perficit, & electus cum duobus Epiſcopis ſtabit ad latus Altaris cum ſilentio (1).

Canon Patrum. Epiſcopus chirotoniam non recipiat ſine Synodo & aſſiſtentia Metropolitæ Provinciæ; hoc autem omnino æquum eſt, ut cum ipſo inveniantur Clerici (Textus habet: *Filii miniſterii*) Provinciæ, qui Epiſtolis Metro-

tro-

[illegible]

(1) Idipſum Arabice declaratur in textu.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

tropolitani convocandi ſunt, quod ſi arduus ipſis ſit acceſſus, congregabuntur omnino Tres Epiſcopi, fiatque cum conſenſu Epiſcoporum, qui non potuerunt venire (1).

Canon. Non fiat Epiſcopus niſi ex voluntate Metropolitani Regionis illius, & cum conſenſu omnium Epiſcoporum. In Eccleſia autem non præficiatur, niſi qui noſcitur rectus, & timens Deum, habeatque teſtimonium bonum, ac ſciat regere Eccleſiam (2).

Canon de Impoſitione manus. Quomodo autem Patriarcha ordinet Epiſcopos æquum eſt deſcribere & indicare. Poſt tertiam divini officii horam, ingreditur Patriarcha in Gazophilacium Altaris, & vocat Electum, & duos Epiſcopos ſolos cum eo, & clauduntur vela portæ. Tunc ipſe Patriarcha imponit capiti Electi cucullum, & induit eum Al-

---

(1) Arabica interſerta expoſitio idipſum declarat.

(2) Arabica expoſitio ſubjecta Canonem Laodicænum exprimit.

Alba, & imponit ei amictum, & veſtit eum caſula, tenentibus ea omnia Epiſcopis. Tum Patriarcha genuflectit coram Electo, & ita dicit ei.

Spiritus Sanctus vocat Te, ut ſis Epiſcopus, aut Metropolita pro loco *N.*

Et genuflectunt etiam Religioſi (Epiſcopi) ob reverentia Patriachæ debitam; deinde etiam Electus procidit in faciem ſuam coram Patriarcha, & dicit.

Conſentio, & accepto (1).

Tunc ſurgit Patriarcha, eumque in fronte ter Signat ſigno Crucis dicens.

Dominus Deus benedicat te dextera ſua, & dignum Te faciat gradu ſummi Sacerdotii ſuper ſedem glorioſam civitatis benedictæ, & amantis Chriſtum *N.* In nomine Patris ✠. Et Filii ✠. Et Spiritus ✠ Sancti in ſæcula Amen.

Et

(1) Sequitur in textu expoſitio Arabica literalis, in qua hæc duo inſuper addita leguntur: ac primo quod clauſis velis, Electus in genu flexus manum Patriarchæ deoſculari jubetur, ac benedictionem ab eo petere per illa: *Benedic Domine*. Secundo verba illa Electi *conſentio*, & *accepto*, ſic exponuntur: Obediam & adimplebo omnia mandata Apoſtolica, & Conciliorum, quæ a Spiritu Sancto ordinata ſunt.

Et deinde conſtituunt eum ad latus Altaris, & Dominus Patriarcha incipit miniſterium divinorum Myſteriorum, ſacrificio autem completo, Patres vocatum pluviali exuunt, & manus ante pectus complicatas tenentem ad conſpectum Altaris ducunt. Incipit ergo Dominus Patriarcha orationem primam, & Epiſcopi dicunt modos ſeu cantus, & reliquum officii, uti commemoraturi ſumus Deo juvante. Paſtor dicit orationem.

Gloria Patri.

Archidiaconus. Pro tranquillitate.

Epiſcopus.

Dignos nos effice Chriſte Deus miniſterio hoc myſtico, ut Liturgiam hanc Sacerdotalem perficiamus, & abundantia chariſmatum tuorum cæleſtium, & divinorum repleamur; & attollemus.

Tum dicunt. Laus Deo.

Epiſcopus dicit. Confirma, Domine mi, Eccleſiam tuam Sanctam ſuper petram immobilem Fidei orthodoxæ, &

& per Te roboretur, & a Te ſuſcipiat auxilia perfecta, & dona divina, quibus illuſtrentur Filii ejus ad ſerviendum purè in templo ſancto tuo, & glorificabunt Te cum choris immaterialibus ſupernis Pater.

Et dicunt tonum : Miſerere mei.

Archidiaconus. Stemus recte.

Epiſcopus ponit Aromata, & dicit Proœmium.

Ante omnia, & poſt omnia digni efficiamur, qui offeramus gloriam, honorem, adorationem, & gratiarum actionem Illi Regi Regum, & Domino omnium Dominationum: Illi, cujus thronus cælum eſt, & ſcabellum ſub pedibus ejus eſt terra. Illi, qui gratia ſua condidit ſæcula, & ſua ſapientia ſtatuit fundamenta terræ. Illi, qui ædificavit Eccleſiam Sanctitatis ſuper palmam manuum ſuarum Sanctarum, & poſuit fundamenta ejus Prophetas & Apoſtolos, & Martyres, & Confeſſores, eique promiſit, quod portæ inferi non prævalebunt adverſus eam; atque in ea conſtituit Paſtores, & Antiſtites, ac Rectores qui

[illegible]

qui illam cuſtodirent per magnam virgam Crucis vivificæ a malo, & omnibus virtutibus ejus. Bono.

Ordo. Domine Deus omnipotens, nomen magnum & Sanctum unicè, ens æternum omnia continens ſine termino, qui erudis, & arguis omnes; miſericors, longanimis, & multus in miſerationibus, & veritate. Tu, Domine, clemens ſuſcipe ſuavitates haſce, quæ nomini tuo Sancto offeruntur in hoc inſtanti pro animabus tibi traditis, & ſuper quas ſignatum eſt Signaculum tuum vivum, & Sanctum; potiſſimum autem pro ſervo tuo hoc, qui præparavit ſe hodie ad accipiendum tuum Sanctum Signaculum, & collum ſuum inclinavit ad portandum jugum tuum mite, & ſuave, & ut ſcribatur diſpenſator tuus fidelis, utque deſponſet animam ac mentem ſuam miniſterio nominis altiſſimi Trinitatis ſanctæ.

Tu ergo Domine omnipotens, & omnium Creator ſuſcipe illas (*ſuavitates*) per tuam benignitatem, pro remiſſione tranſgreſſionum noſtra-

ſtrarum, qui ſumus infirmi ſervi tui minimi, & peccatores in omni hora; Et juſtè, benignè, ac divinè complaceat tibi, atque concede gratiam Spiritus vivi, & Sancti ſuper hunc ſervum tuum, qui factus eſt particeps myſteriorum tuorum Sanctorum, & dignus effectus eſt, qui ſuſciperet donum plenum auxiliis, & vita nova. Redde eum, Domine, plantam benedictam in domo tua plena auxiliis, dantem fructus, cujus folia non decidant; & per acceſſum ad clementiam, quae non evacuatur, prohibe ab illo omnia opera mala, & odibilia, quæ faſtidit Spiritus Sanctus; & ſit alienus perfecte ab omni hæreſi, quæcumque ea ſit, atque errori Gentilium haudquamquam conſentiens; Sed & eruditum ipſum effice in omni ſua converſatione irreprehenſibili poſt hoc donum; Sciens, & rectus, ac perfectus inveniatur in omni æquitate; amore perfecto doli experte, invidia, & fraude vacuo ſemper ornatus adpareat: Præcinge eum, Domine, virtute Spiritus tui Sancti, & arma-

tura invincibili, ut pugnet ſemper contra adinventiones, & fraudes demonum; Ut purè, & Sancte coram te in hoc ſæculo fungentes hoc miniſterio, digni reddamur poſt translationem noſtram ab hoc mundo ad habitationem illam, quæ eſt in manſionibus deſideratis, & in tabernaculis iſtis cæleſtibus commorari, & locis mundis adſcribi, ſanctorum domicilio uniri, cum juſtis lætari, & cum Prophetis, ac Apoſtolis exultare in lumine, quod non tranſit; in pace perpetua ſuſcipi; in cæleſtibus deliciis habitare, ubi paratum eſt refugium deſiderabile; unde diffugiunt anguſtiæ, & paſſiones, & dolores, ac gemitus, atque ſuſpiria; ubi cum Abraham, Iſaac, & Jacob, omnes illi, qui in præclara religione, & convenienti opere vitam tranſegerunt, gloriam ineffabilem perpetuo colligunt. Cuſtodi itaque illum ſemper, & ubique confirmatum, ſanum, probatum, fidelem, irreprehenſibilem, ſine errore, ſine contritione, ſine paſſione, ſine triſtitia, ſine dolore; Et cum omnibus San-

Sanctis omnes inſimul mereamur vitam haud ſeneſcentem , quia Tu es bonus , & miſericors , tibique convenit gloria, & honor cum Patre tuo , & Spiritu tuo vivo , & Sancto . Nunc .

Et dicunt tono . Ego ſum lux .

Cum ſuſceperunt Apoſtoli donum Spiritus Sancti paracliti , egreſſi ſunt , docuerunt , & prædicaverunt in creatura Fidem veritatis ; & ordinaverunt gradum Sacerdotii , ac ſtatuerunt in eo Paſtores , qui paſcerent oves Chriſti in æquitate , & juſtitia uſque ad finem, & conſummationem. Benedictus ſit , qui magnificavit gradus Sacerdotii in terra , & deſuper in cælo , & dedit ei poteſtatem magnam in altiſſima , & infima , & quidquid eſt in eis : & ecce in medio Eccleſiæ deducitur , & celebratur in ſummo Sacerdotio , in gradibus ſupremis , & infimis Diaconorum , & Sacerdotum , & Pontificum , ac Paſtorum . Ne commoveare Eccleſia fidelis , quia nocumentum ad te non accedet , neque Te commutabo cum alia , quia

ܫܘܠܡܐ ܘܫܪܝܐ ܀ ܕܫܡܝܐ ܘܐܪܥܐ ܠܐ ܢܗܘܐ

ܠܟܝ ܕܚܠܬܐ ܕܬܪܘܢܘܣ ܕܝܠܟܝ ܡܛܝܒ ܀ ܒܝܬ

ܐܒܐ ܘܒܪܐ ܘܪܘܚܐ ܩܕܝܫܐ ܀ ܒܚܢܢܟ ܪܘܡܡ

ܦܪܘܩܢ ܩܪܢܗ ܕܥܕܬܐ ܡܗܝܡܢܬܐ ܀

ܘܒܨܠܝܒܟ ܢܛܪ ܚܒܝܒܘܗܝ ܡܢ ܢܟܝ̈ܢܐ

ܘܣܘܩܒܠܐ ܀ ܗܘܝ ܥܡܗ̇ ܕܒܬܪܟ

ܐܙܠܬ ܥܩܒܟ ܘܥܒܝ ܦܪܘܩܗ̇ ܕܠܟ

ܐܬܡܟܪܬ ܘܒܝܐܝ ܠܒܢ̈ܝܗ̇ ܕܐܬܪܕܝܘ

ܘܐܥܝܩ ܡܢ ܣܛܢܐ ܀ ܘܒܨܠܝܒܟ ܦܪܘܩ

ܚܝ̈ܝܗܘܢ ܀

ܩܘܒܠܐ ܀

ܩܒܠ ܡܪܝܐ ܒܪ̈ܚܡܝܟ

ܘܒܚܢܢܟ ܠܒܣܡܐ ܗܢܐ ܕܩܪܒܢ ܩܕܡܝܟ

ܒܡܫܡܫܟ ܒܥܕܢܐ ܗܢܐ ܘܫܕܪ

ܪܘܚܟ ܩܕܝܫܐ ܥܠܝܢ ܘܥܠ ܥܒܕܟ ܗܢܐ

ܕܡܣܟܐ ܠܡܘܗܒܬܐ ܕܡܢ ܠܘܬܟ ܘܥܠ

ܐܠܝܢ ܫܘܒܚܐ ܘܐܝܩܪܐ ܢܣܩ ܠܟ

ܡܪܝܐ ܡܕܒܪܢ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ ܟܘܡܪܗ

ܕܫܪܪܐ ܘܠܐܒܘܟ ܣܝܡܐ ܕܟܠܗܘܢ

ܒܘܪ̈ܟܬܐ ܘܠܪܘܚܟ ܩܕܝܫܐ ܘܡܫܡܠܝܐ

ܕܟܠܗ̇

non commutaſti me cum alio. Et cum fuerit conſummatio, atque cælum diſſolvetur, & terra, Tibi non erit timor, quia thronus tuus diſpoſitus eſt inter Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. Propter clementiam tuam exalta, Salvator noſter, cornu Eccleſiæ fidelis: & per Crucem tuam Cuſtodi dilectos ipſius a damnis, & adverſitatibus: Eſto cum illa, quia Te ſecuta eſt; & defende eam, quia tibi deſponſata eſt; atque ſolare Filios ejus, quos inſequitur, & anguſtiis premit Sathanas, ac tua cruce ſalva vitam eorum.

Acceptatio.

Suſcipe, Domine, per miſerationes tuas, tuamque benignitatem, ſuffitum hunc ſuavitatum, quem obtulimus coram Te in hoc inſtanti; & emitte Spiritum tuum Sanctum ſuper nos, & ſuper ſervum tuum hunc, qui expectat donum, quod ex te eſt; Et pro his gloriam, & honorem attollemus tibi Dominator Domine noſter Jeſu Chriſte veritatis Pontifex, & Patri tuo theſauro omnium benedictionum: ac Spiritu tuo Sancto, & conſumma-

matori omnium donorum . Nunc .

Archidiaconus prædicat .

Etiam , atque etiam , perpetuo , & ſemper , Domino , ſupplicemus . Domine pro pace ſuperna , & vita , atque redemtione animarum , & corporum noſtrorum , Domino ſupplicemus . Pro Patre noſtro religioſo , & electo Dei , & Rectore noſtro in Chriſto Domno *N*. Epiſcopo , & pro univerſo Clero ejus , & impoſitione manus , Domino ſupplicemus . Domine pro ſalute , auxilio , & adjutorio ac confirmatione ſervi tui hujus *N*. qui hic ſtat , & impoſitionem manus divinæ accipit ; concedat illi Dominus , ſupplicemus .

Oremus , ſupplicemus , & obſecremus omnes inſimul attente Amatorem hominum Dominum Deum , ut ſuſcipiat illum ſine macula , & reprehenſione , eique concedat honorandum Sacerdotii gradum per illapſum Spiritus Sancti , omnes pro eo ſupplicemus . Sanctam , glorioſam , & impollutam Dominam noſtram , & omni tempore Virginem beatam Dominam Mariam Dei genitri-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

nitricem commemoramus; Et Johannem legatum primum, & Curſorem verum, Stephanum Protomartyrem, & Archidiaconum, atque Prophetas veraces, Apoſtolos divinos, & Martyres victoria amictos. Ut Dominus Deus per orationes eorum puras, & preces Sanctas nobis omnibus clemens adſit, & nos cuſtodiat, atque expiet; Domino ſupplicemus. Omnes, & pro omnibus nobis, atque pro ſervo tuo iſto *N.* qui ſtat, & expectat donum tuum; Te, Domine Deus, precamur, & obſecramus clamantes, & dicentes ter: Kyr. Kyr. Kyr.

Epiſcopus inclinatur.

Domine virtutum cæleſtium & divinarum, qui erudis mentes hominum, & ſcrutaris corda, ac renes, Exaudi nos propter multitudinem miſerationum tuarum, & munda nos ab omni labe carnis, & Spiritus, aufer peccata noſtra veluti nubem, & veluti nebulam, omnes iniquitates noſtram; Reple etiam nos virtute tua, & gratia Unigeniti Filii tui, atque operatione Spiritus tui Sancti, & dignos nos

nos effice, qui ſimus Sacerdotes Teſtamenti tui novi; ut poſſimus, uti congruit nomini tuo, ſtare coram Te, & miniſtrare, ac Sacerdotio fungi erga tua myſteria divina; & ne nos permittas participes fieri peccatorum alienorum, quin & hæc noſtra dele, ac tribue nobis, Domine, ut nihil agamus inordinate, ſed concede ſcientiam ad eligendos hos qui digni ſunt.

Et extollit vocem ſuam.

Et ſuſcipe, Domine mi, per tuam benignitatem, hunc Epiſcopum, qui hic præſens adeſt, & expectat etiam donum cæleſte per amorem erga homines Unigeniti Filii tui, ac Spiritus tui.

Deinde duo Epiſcopi adducunt Ordinandum ad pinnaculum Altaris in latere Auſtrali, & imperat ei Patriarcha, ut legat volumen, quod ipſe Ordinandus antea propria deſcripſit manu, quod non tranſgredictur Canones præſcriptos (1).

Ego

(1) Arabica expoſitio adjecta idem ſonat: Chirographum autem Juramenti, & Fidei, quem ordinandus de ſe ipſo ſcripſit quod ſub obedientia Præſulis Antiochenæ ſedis permanſurus ſit, & fidei Canones omnes ſecuturus, ſequenti continetur formula Arabica quam Arabice Latine ſubiicio.

[illegible]

Ego Humilis *N.* Filius *N.* qui vocatus ſum gratia Dei, & miſericordia illius ex gradu Presbyteratus, ad Epiſcopatum ſuper Civitatem *N.* Corde credo, & ore confiteor, quod Dominus, & Deus noſter (cujus nomen, & memoria ſanctificetur, & exaltetur) eſt unus Dominus æternus, & ab æterno ſine fine, & ſine principio, qui creavit omnia creata verbo ſuo, & ſua potentia omnia exiſtentia ipſe continet, præter quem non eſt Dominus, nec Deus. Item Credo, & Confiteor hunc Dominum, qui unus eſt in eſſentia, eſſe Trinum in Perſonis ab æterno; ſunt autem Perſonæ: Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: porro Pater eſt ante ſæcula genitor ingenitus, & Filius genitus, non genitor; Spiritus vero Sanctus nec genitor, nec genitus, ſed procedens ex Patre, Filioque tamquam ab unico indiviſibili, & inſeparabili principio (1).

Item

(1) Vox Arabica litteraliter exponenda erat, *cauſa*: ſed quia Latinis auribus terminus iſte non bene, ſicuti orientalibus atque Græcis, audit, cum de Trinitatis myſterio ſermo eſt, hinc vertimus *principio*. Vid. Florentinum in Decreto de Proceſſione Spiritus Sancti, & Theolo-

Item credo, & profiteor quod Filius, qui eſt ſecunda Perſona Sanctiſſimæ Trinitatis, abſque eo quod a paterno ſinu, & ſede gloriæ ſuæ diſcederet, deſcendit ſolus in uterum Mariæ ſemper Virginis, & induit corpus noſtrum, & homo ſimilis nobis factus eſt perfectus in Spiritu, & corpore, & in omnibus proprietatibus naturæ noſtræ humanæ excepto peccato, & natus eſt ex ea Deus perfectus, & homo perfectus, in utraque natura divina, & humana perfectus; Et, quod quælibet ex duabus naturis, operatur, quod ipſius proprium eſt quoad voluntatem, & operationem, & reliqua. Et ſicut Tres divinæ Perſonæ unam habet naturam indiviſam, ita & in Chriſto Domino duæ naturæ, divina & humana in una perſona Filii ſine diviſione aut confuſione copulantur.

Item Credo, quod Chriſtus Dominus effuſione Sangui-

[illegible]

gos in Tract. de Trinitate, cujus ratio inde petitur, quod vocabulum αἰτία, & ܥܠܬܐ *cauſa* Græci, & Orientales latius uſurpent, quam Latini, & nihil aliud eo deſignant, quam quod Latini vocabulo *principii*.

[illegible]

guinis ſui ſuper trabem Crucis deſtruxit corpus peccati, quod ad nos derivatum eſt a Patris noſtris Adæ tranſgreſſione præcepti Creatoris ſui; Et per eum (Sanguinem ſuum) liberavit nos a ſervitute Diaboli; & abrogatis victimis Antiquæ legis dedit nobis lavacrum Baptiſmi, & Sacramentum Pænitentiæ, atque oblationem Corporis, & Sanguinis ſui pretioſi cum cæteris Sacramentis ad hæreditate poſſidendam vitam æternam. Qui ergo piè cuſtodierit ea, merebitur in tranſlatione ſua ab hoc ſæculo viſionem veritatis glorioſiſſimæ, & altiſſimæ; Et qui ea contempſerit, & male tractaverit, punietur cum infidelibus in gehenna, cujus ignis non extinguetur, & vermis non morietur. Qui autem piè moriuntur, & aliqua habent delicta, & canones, queis plene adhuc non ſatisfecerunt, punientur ad aliquod temporis ſpatium, donec ab omni macula emundentur, aut ſubleventur a fidelibus orationibus ſuis, & oblationibus; tum elevabun-

buntur ad quietem æternam cum cœtu Sanctorum. Item credo, & amplector omnia, quæ ſanxerunt Sancti Patres in Conciliis generalibus; quorum primum eſt Concilium Nicænum, quod Anathematizavit Arium, & omnes Sectatores illius corruptæ opinionis, quod Filius eſſet recenter factus, & quod non eſſet æqualis Patri in ſubſtantia, & eſſentia. Similiter ſuſcipio ſecundum Concilium, quod fecerunt Pattres 150. In Urbe Conſtantinopolitana contra Macedonium ejusdem Civitatis Patriarcham, qui aſſeruit Spiritum Sanctum creatum eſſe, neque Patri Filioque conſubſtantialem. Similiter etiam ſuſcipio Concilium Tertium quod habitum eſt in Epheſina Civitate præſentibus cc. Patribus, qui ſententiam tulerunt de Neſtorii depoſitione a ſede Conſtantinopolitana, & eum ab Eccleſia Sancta removerunt, quia dixit, quod Chriſtus Dominus, qui natus eſt ex Domina Sancta Maria, non erat Deus, ſed homo; & quod Divinitas in eo habi-

[illegible]

[illegible]

taverit, eumque ſibi templum fecerit; & conſequenter eum in duos filios dividebat, quorum unus æternus eſſet genitus a Patre, alter vero temporalis natus ex Maria, qui duo Filii uniti fuerint voluntate, & amore, non autem hypoſtatice. Item ſuſcipio concilium quartum, quod celebrarunt Patres DCXXX. in civitate Chalcedonenſi adverſus Eutychetem Archimandritam, & Dioſcorum Patriarcham Alexandrinum, eo quod negarunt duas Chriſti naturas, & dixerunt unam in ipſo naturam eſſe poſt unionem. Similiter quoque recipio Concilium V. quod Conſtantinopoli convocatum fuit contra Severum Patriarcham Antiochiæ, & Petrum Epiſcopum Apameenſem, qui in Chriſto, dicebant unam eſſe naturam ex duabus naturis, & voluntatem unam, Præſides autem hujus concilii, quorum numerus fuit 165. hanc perverſam ſententiam, Anathematizarunt; pariterque ſegregarunt Petrum Fullonem Antiochenum Patriarcham, quia attribuit paſſiones

nes naturæ divinæ, & quaternitatem Triſagio adjunxit. Simili etiam modo recipio Sextum Concilium, quod celebrarunt Patres CXXXVII. in Urbe Conſtantinopolitana adversus Doctrinam Sergii ejuſdem Civitatis Patriarchæ, & Cyri Patriarchæ Alexandriæ, qui Severi deliria ſecuti dixerunt in Chriſto Domino unicam eſſe voluntatem, & operationem unicam divinam. Patres igitur oſtenderunt Chriſti humanam naturam perfectam fuiſſe in voluntate, & operatione, ſicut in cæteris hominibus, concordem, & non repugnantem voluntati illius Divinæ. Pariter ſuſcipio Concilium ſeptimum, quod Niceæ convocatum fuit propter cultum imaginum, Epiſcoporum autem, qui in eo convenerunt, numerus fuit 367. Excommunicationis vero ſententiam tulerunt adverſus eos, qui impugnabat cultum Crucis Domini, & imaginum Matris ejus, & Sanctorum ejus. Et ſimiliter recipio, ac profiteor ſingula Concilia recepta in Eccleſia Catholica, quæ

[illegible]

quæ collecta fuere in Spiritu Sancto in partibus Orientis, & Occidentis; recipio autem omnia, quæ receperunt, & anathematizo, ac damno quidquid damnarunt, & Anathematizarunt. Item profiteor, atque ſuſcipio omnes libros revelatos a Deo in veteri, & in Novo Teſtamento, & quidquid in eis continetur juxta traditionem Sanctorum Patrum in ſuis Conciliis, & eorum interpretationem in ſuis Sanctis ſermonibus. Præterea Credo, & profiteor Dominum Salvatorem dediſſe vicem ſuam Petro Apoſtolo, eumque conſtituiſſe caput, & Rectorem totius Eccleſiæ; ille autem erexit primum ſedem Patriarchalem in Civitate Antiochiæ magnæ, deinde ſe Romam ad Urbium Matrem contulit, in hac vero ſuum martyrium complevit, & facta eſt Mater omnium ſedium, qui in tota Chriſtianitate ſunt. Nec deſierunt ſucceſſores ejus in ea ſibi ſuccedere unus poſt alium uſque ad Pontificem maximum caput capitum, & Dominum noſtrum Papam

pam *N.* Et ad hujus ſimilitudinem deducta eſt ſucceſſio Apoſtoli in ſede Antiochena ab uno ad alium uſque ad Sanctiſſimum Patrem nobis hoc tempore præpoſitum Dominum *N.* Deus confirmet Principatum amborum ſuper nos; Profiteor ergo & promitto coram Deo, & coram precioſo ejus corpore, & Angelis aſſiſtentibus, & coram hoc Sancto Concilio Me ipſis, & eorum ſucceſſoribus ſubditum fore, & obſecuturum corde, & ore; neque cooperaturum, nec conſenſurum neci eorum, aut mutilationi membri ex eorum membris, aut injuriæ iiſdem illatæ; nec ullius Præpotentis opem imploraturum ad infringendas ipſorum conſtitutiones, aut ad imminutionem honoris iis debiti, aut ad impediendum, ſive immiſcendum in iis, quæ ſpectant ad ipſorum diæceſes & juriſdictionem; ſed imo eorum legibus ero obediens, illis congruum honorem præſtabo, legatis eorum opem feram, ſuſcipiam quemcumque ſuſceperint, & excommunicabo quemcumque excommu-

[illegible]

[illegible]

municaverint. Quod ſi quidpiam eorum, quæ commemoravi, tranſgreſſus fuero, Reus ſim correptionis Patrum Sanctorum, & Conciliorum Sanctorum. Quod autem ſpectat ad Eccleſiam, cujus regimen mihi credetur gratia Dei, & Sanctiſſimi Domini Noſtri Patriarchæ beneficio, omnem navabo operam, & ſollicitudinem omnem meam ponam ad ædificationem ejus, & bonorum illius augmentum, ac directionem Sacerdotum, & animarum in ejus diſtrictu exiſtentium. Et hæc eſt voluntas mea, fides mea, & juramentum meum caractere manus meæ; Et Deus Fidejuſſor ſit ſuper id, quod dico. Et Deo gloria in æternum. Scriptum fuit in loco *N.* Menſe *N.* Anni *N.*

Deinde procedunt duo Epiſcopi, eumque adducunt unus a dextra, alter a ſiniſtra ejus (1) *& unus ex eis dicet.*

Offerimus Sanctitati tuæ, o Pater Sanctæ, & electe Dei,

1 Arabice idem exponitur, & Syro caractere ſubiungitur Rubrica ſubiecta.

Dei, Domine *N.* Rector noſter, hunc amantem Dei *N.* qui huc acceſſit, ut a Te ſuſcipiat impoſitionem manus divinæ ad gradum ſublimem Epiſcoporum ad titulum Regionis *N.* pro Urbe *N.* Et eſt ſubditus Beatitudinis tuæ. Oremus ergo omnes, & deprecemur Deum pro eo, & dicamus ter. Kyr. Kyr. Kyr.

Epiſcopus eum flectere genua jubet, & capiti ejus manus imponit, ac orat.

Gratia divina, & cæleſte donum Domini noſtri Jeſu Chriſti, quæ omni tempore implet defectus noſtros, & ſanat infirmitatem noſtram, ac noſtra alligat vulnera, noſtroſque dimittit reatus, & curam gerit omnium Filiorum Sanctæ Dei Eccleſiæ, vocat, & promovet hunc *N.* ſervum Chriſti, qui hic adeſt, & cum timore, tremore, ac fide vera animam ſuam coram Sancto Altari, humiliavit, & oculos mentis ſuæ in altum attollit ad Te, qui habitas in Cælis Cælorum, & expectat donum cæleſte a gradu Præsbyterorum,

[illegible]

rum, aut Periodeutarum, aut Chorepiſcoporum, ad gradum Epiſcoporum ad Altare Sanctum Sancti Domini N. urbis *N.* Oremus ergo omnes, ut adveniat ſuper eum gratia, & donum Spiritus Sancti, & clamemus, ac dicamus ter. Dona ei Domine, dona ei Domine, dona ei Domine.

Archidiaconus. In pace Domino ſupplicemus.

Paſtor imponit manus ſuas ſuper corpus, & ſuper calicem, (1) & orat inclinatus.

Eia Domine Deus dignum hunc ſervum tuum effice miſerationibus tuis, & promove eum ad vocationem hanc Epiſcopi, ut ſit exemplar, & dignus ſit nomine tuo Sancto, & operibus miniſterii, dono gratiæ tuæ, & Spiritus tui Sancti, per puritatem, & Sanctitatem.

Et extollit vocem ſuam.

Et inveniat miſericordiam coram Te, & accipiat etiam auxilium a gratia tua, donumque remiſſionis a Te ſuſcipiat.

Et

---

(1) Arabica inſerta expoſitio ſonat, quod Præſes convertitur ad Altare, ambaſque manus extendit, eaſque ter motat ſuper corpus, ac ter ſuper Sanguinem; Deinde Diaconi operiunt manus ejus velo magno.

Et convertitur ad ordinandum, & ponit ſuper caput ejus, ac metitur; Epiſcopi autem manibus ſuis tenent Sanctum Evangelii librum ſuper manus Paſtoris; & alii ſuſtinent Flabella ſuper Evangelium: Et tunc Paſtor elevat manus ſuas, & extendit brachia ſua, & demittit tribus vicibus ſuper caput ejus, qui ordinatur (1).

Et Paſtor orat.

Deus, qui univerſam Eccleſiam tuam per iſtos Pontifices in manus impoſitione exornas, Tu, qui omnia potes, etiam hunc ſervum tuum, quem dignum præſtitiſti, qui a Te recipiat ſublimem Epiſcoporum ordinem, exorna omnibus virtutibus, & ſtabilitate, ac pace ſuſtine eum, & imple omnibus fidei proprietatibus, & charitate, ac virtute, & ſanctitate per illuminationem Spiritus tui vivi, & ſancti atque

[illegible]

(1) Arabica ſubjecta expoſitio habet. Et convertitur ad electum, & extendunt velum, & motat manus ſuas ſuper caput ejus tribus vicibus cruciformiter, & poſtquam ſublatum fuerit velum, Epiſcopi teneant librum Evangeliorum apertum ſuper caput vocati ad num. 26 Johannis: Diaconi autem ſuſtinent Flabella hinc, & inde ſuper Evangelium. Et cum Præſes elevat, ac demittit manus ſuper caput Vocati Cruciformiter, ſuſtineant etiam Epiſcopi Evangelium, illudque elevent ſuper manus Præſidis, eodemque modo Flabella agitanda erunt ſuper Evangelium motu tremulo.

atque vivificantis, & non jam per impoſitionem manus meæ infirmæ, ſed per illapſum Sancti Spiritus, ut ſimus immunes ab omnibus peccatis noſtris in die tremendo judicii, & ſine macula ſtemus coram Te, ac recipiamus mercedem veram per annunciationem tuam.

Et converſus ad Altare dicit.

Gratia tua, & miſerationibus, ac benignitate Unigeniti Filii tui, & Spiritus tui Sanctiſſimi, boni.

Epiſcopus. Pax vobiſcum.

Populus. Et cum.

Et imponit manum ſuam ſuper myſteria, & ſuper caput ejus dicens.

Deus Deorum, & Dominus Dominantium, qui ſedes ſuper currum gloriæ tuæ in altiſſimis, & voluntas tua in infimis abyſſis perficitur; qui conjunxiſti ad honorem miniſterii tui cætus ardentes flammæ mirabiles aſpectibus, & ſimilitudinibus ſtupendos; & conſtituiſti mundos lucis innumerabiles, & agmina Spiritus indefinita, quæ ſanctificationes proferunt, & laudes

des mittunt, atque glorificationes attollunt tibi Domine, ad locum, in quo tabernaculum tuum commoratur; & quia multæ Tibi inſunt miſerationes, terrenos quoque infirmos, & humiles effeciſti participes glorificationis Majeſtatis tuæ, & miniſterii Divinitatis tuæ; Et ex his conſtituiſti Prophetas, & deinde Apoſtolos, poſt hos, Doctores, & Patratores virtutum, ut participes eſſent miniſterii magnitudinis tuæ, & conjuncti cætibus lucis, & myſteriis divinitatis tuæ. Et nos etiam infirmi, & peccatores ſervi tui, qui ſuſcepimus gradum Sacerdotii ſublimiſſimi, cum digni non eſſemus ut calcaremus limen tui Sancti Templi, ſupplices tibi fundimus preces, teque rogamus per orationes Deiparæ Mariæ, ut inclines clementiam divinitatis tuæ ad nos, & acceptes hoc miniſterium, & chirotoniam hanc, quæ facta eſt ſuper ſervum tuum iſtum per paupertatem noſtram. Eja, Domine, eſto nobis Rector die ac nocte, & om-

[illegible]

nibus momentis, & liberator, ac redemptor a fraudibus adverſarii; concede tibi ſit placens in omnibus moribus ſuis, neque declinet ad dexteram neque ad ſiniſtram a via tua, quæ ad vitam indefectibilem ducit; nullo pacto contriſtet Spiritum tuum Sanctum; verum gratia tua, Domine, ſtabiliatur, & confirmetur, & conſummet curſum agonis ſui piè, ac juſtè cunctis diebus vitæ ſuæ, atque etiam in noviſſimo die adventus tui terribilis, & tremendi lætus tibi occurrat portans lampades lucis opera ſua bona, & ingrediatur tecum ad accubitum, canatque gloriam nomini tuo venerabili. Pater.

Archidiaconus prædicat Ephremiticum.

Stemus omnes in oratione, & ſupplicemus cum ſuſpirio, & in fide, atque charitate clamemus ad Trinitatem. Petamus a Patre abſcondito, & a Filio laudando ac Sancto, atque a Spiritu Sancto conſolatore, armaturam, quam induerunt Diſcipuli. Bonus, qui plenus eſt bene-

benedictionibus, neque eas denegat hominibus, ipſe det tibi benedictiones plenas miſerationibus, & bonis. Dator optimus, qui dedit Melchiſedek, ut in conſpectu ipſius ſtaret, & Pontificatum etiam miniſtraret, ſicut Dominus noſter in ipſo præfiguratus fuit. Tibi obediant etiam Sacerdotes, & ex converſatione tua decorem accipiant, & ex Doctrina tua Sancta: obtemperent humilitati tuæ. A te diſcant leges, & ſis rectum exemplar, & in omnibus tuis temporibus vulgetur fama Caſtitatis tuæ. Propitius eſto nobis, hominum amator, & condona defectus omnium noſtrum, & ab ira dura libera gregem tuum ab adverſario.

Et imponit manum ſuam ſuper myſteria, & ſuper caput ejus, ac dicit.

Benedictus es Domine Deus, qui es ſuper omnia, qui variis donis exornas Filios hominum, & exaltas Eccleſiam tuam Sanctam, quam tibi elegiſti ex populo in Teſtamento primo, & antiquo ſeptuaginta ſenum, & imple-

ܘܡܠܝܬ ܐܢܘܢ ܪܘܚܐ ܕܢܒܝܘܬܐ . ܘܒܗܝ
ܗܕܐ ܕܝܠܗ ܕܝܬܩܐ ܚܕܬܐ ܕܡܫܝܚܟ . ܣܡܬ
ܡܪܝܐ ܒܥܕܬܟ ܩܕܝܫܬܐ ܩܕܡܝܬ ܫܠܝܚܐ
ܘܒܬܪܗܘܢ ܢܒܝܐ ܘܡܠܦܢܐ ܘܡܕܒܪܢܐ
ܘܐܦܝܣܩܘܦܐ ܕܢܡܠܘܢ ܬܫܡܫܬܐ ܕܡܕܒܚܟ
ܩܕܝܫܐ . ܐܦ ܗܫܐ ܡܪܝܐ ܐܠܗܐ ܫܡܠܐ
ܥܡܢ ܛܝܒܘܬܟ ܘܡܘܗܒܬܟ
ܘܥܡ ܥܒܕܟ ܗܢܐ ܦܠܢ
ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܘܗܒ ܠܗ ܡܪܝܐ ܐܠܗܐ
ܥܡ ܣܝܡ ܐܝܕܐ ܗܕܐ ܕܝܘܡܢܐ
ܩܒܠ ܡܢܟ ܡܛܠܠܘܬܐ ܕܪܘܚܐ ܩܕܝܫܐ .
ܘܫܘܐ ܠܗ ܕܢܫܟܚ ܪܚܡܐ ܡܢ ܡܪܚܡܢܘܬܟ . ܘܢܟܗܢ
ܘܢܩܪܒ ܠܟ ܩܘܪܒܢܐ ܕܟܝܐ ܥܡ ܢܕܪܐ
ܘܪܫܝܬܐ ܘܒܣܡܐ ܛܒܐ ܘܪܝܚܐ ܒܣܝܡܐ
ܕܢܫܦܪܘܢ ܠܨܒܝܢܟ . ܘܢܦܝܣܘܢ ܠܐܠܗܘܬܟ . ܘܗܒ ܠܗ
ܡܪܝܐ ܡܠܬܐ ܘܡܡܠܠܐ ܒܝܕܥܬܐ ܕܢܟܣ
ܘܢܟܐ ܘܢܟܬܐ ܠܟܠܗܘܢ ܕܛܥܘ ܡܢ
ܝܕܥܬܐ ܕܫܪܪܐ . ܢܗܘܐ ܣܥܘܪܐ ܠܝܬܡܐ
ܘܡܣܝܥܢܐ ܠܐܪܡܠܬܐ . ܘܡܕܒܪܢܐ ܠܡܣܟܢܐ .
ܘܡܦܪܢܣܢܐ

implevisti eos Spiritu prophetiæ; Et per hoc novum Teſtamentum Chriſti tui poſuiſti Domine in Eccleſia tua Sancta primum Apoſtolos, & poſt hos, Prophetas; deinde Doctores, & Rectores, & Epiſcopos, qui implerent miniſterium Altaris tui Sancti. Etiam nunc, Domine Deus, perfice nobiſcum gratiam tuam, tuumque donum & cum ſervo tuo hoc *N.* Epiſcopo, & concede ei, Domine Deus, cum impoſitione manus iſta, quam hodie a te ſuſcipit, illapſum Spiritus Sancti; dignumque illum præſta, qui miſericordiam a Te obtineat, & Sacerdotio fungatur, offeratque tibi ſacrificia pura cum votis, & primitiis; ac thura bona, & odoramenta ſuavia, quæ placeant voluntati tuæ, & ſatisfaciant divinitati tuæ. Concede etiam illi, Domine, gratiam verbi, & eloquentiam in ſcientia, ut reprehendat, corripiat, & increpet omnes illos, qui a cognitione veritatis aberrarunt; ſit viſitator pupillorum; ſuſtentator viduarum;

Re-

Reductor errantium ; Provideat egenis, conſoletur advenas, cuſtodiat mandata tua divina, adimpleat leges tuas Apoſtolicas, & adhæreat tibi, tuæque voluntati cunctis diebus vitæ ſuæ in conſpectu tuo ea omnia faciens, & exequens, quæ congrua ſunt, & juſta : Atque per tuas miſerationes æternas dignos nos redde, qui lætemur, & exſultemus cum eo in regno tuo cæleſti, per orationes, & ſupplicationes genitricis lucis, & omnium facientium voluntatem tuam. Pater.

Et erigit eum a terra, ac convertitur ad Altare dicens.

Inclina Domiue aurem tuam, & audi orationes ſervorum tuorum peccatorum, & pauperum, & ſuſcipe per miſericordiam tuam deprecationes noſtras, & da ſervo tuo huic *N.* fidem, & ſapientiam in his, quæ ſibi concredita ſunt a tua gratia, & a Grege tuo rationali, ut faciat omnem voluntatem tuam, & promereatur regnum tuum cæleſte. Tu es

enim adorandus, & glorioſus Deus noſter, & Spiritus tuus vivus, ac Sanctus.

Et convertitur ad ipſum, manumque ſuam imponit ſuper caput ejus, ac dicit.

Reſpice in nos in hac hora, & in noſtram conſiſtentiam coram te, & tibi complaceat in nobis, ac ſuſcipe exercitium animarum noſtrarum, & benedicito operi manuum noſtrarum, & mitte benedictiones tuas cæleſtes ſuper ſervum tuum hunc Epiſcopum *N*, & placeat tibi chirotonia, quæ hodie facta eſt ſuper eum a manibus noſtrum ſervorum tuorum peccatorum per tuum ſanctum ſignaculum; & perfice eum, ut per hoc magnum donum mereatur pure, immaculate, & irreprenſibiliter conſiſtere coram Te, & mundo corde Sacerdotale miniſterium tibi exhibere, quo obtineat miſerationes, & clementiam. Gratia tua cum omnibus Sanctis, qui a ſæculo tibi placuerunt. Et tibi gloria, & honor, & adoratio, ac Patri tuo, & Sancto ac vivo tuo Spiritui. Nunc.

Tunc

Tunc manibus ſuis duas Cruces portat, & deferunt cum ipſo Chriſma, & Evangelium, ac circumducunt tribus vicibus illum per Eccleſia dicentes cantus (1).

Tono ſimplici. Benedictus ſit, qui Sacerdotium dedit duodecim Apoſtolis, eoſque in univerſum miſit, & ita eis dixit: Si ligaveritis, ego ligabo; Et ſi ſolveritis, ego ſolvam; ecce dedi vobis poteſtatem altitudinis, & profunditatis; gradus Sacerdotii ordinate in omnibus Eccleſiis. All. & iterum all. Domine noſter miſericordia tua ſuſcipe miniſterium noſtrum, exaudi orationem noſtram, & miſerere nobis Salvator mundi.

Alius tono. Deprecationem. Tibi laus, Deus Domine cæli, & terræ, qui dediſti famulo tuo donum gubernandi ſecundum voluntatem tuam: lætetur in eo Eccleſia Sanctitatis, & ex Doctrina

(1) Arabica Rubrica adiecta hæc habet. Deinde proceſſionem inſtituunt Sacerdotes, & Clerici juxta morem. Et unus Epiſcoporum portabit vas Chriſmatis, alter verò librum Evangelii, vocatus autem duabus manibus ſuis duas deferet Cruces. Et ſi e ſimplici Presbyteratu fuerit electus, unget baptiſterium Chriſmate tribus vicibus in primo circuitu Clericis concinentibus.

ܢܬܦܨܚܘܢ ܒܢ̈ܝܗ̇ . ܘܡܐ ܕܐܬܓܠܝܬ ܐܠܗܘܬܟ ܂
ܢܦܘܩ ܠܐܘܪܥܟ ܒܚܕܘܬܐ ܀

ܠܩܘܒܠܐ ܕܗܝܡܢܘܬܐ ܀

ܚܕܝ ܘܪܘܙܝ ܛܒ ܘܫܒܚܝ ܐܘ ܥܕܬܐ ܩܕܝܫܬܐ ܡܗܝܡܢܬܐ
ܕܗܐ ܡܬܛܝܒܐ ܒܟܝ ܦܬܘܪܐ ܕܒܘܣܡܐ ܂ ܘܦܓܪܐ
ܘܕܡܐ ܕܡܫܝܚܐ ܝܘܡܢܐ ܒܟܝ ܡܫܬܒܚܐ ܠܚܘܣܝܐ ܕܚܘ̈ܒܐ
ܘܚܛ̈ܗܐ ܕܒ̈ܢܝܟܝ ܂ ܘܗܐ ܟܗܢܐ ܪܒܐ ܫܪܝܪܐ ܩܐܡ ܒܪܝܫ
ܡܪܥܝܬܗ ܒܕܡܘܬ ܫܡܥܘܢ ܪܝܫ ܫܠܝ̈ܚܐ ܂ ܘܟܗ̈ܢܐ
ܐܝܟ ܡܠܐܟ̈ܐ ܚܕܪܝܢ ܠܡܕܒܚܐ ܩܕܝܫܐ ܗܠܠܘܝܐ
ܘܪܘܚܐ ܩܕܝܫܐ ܡܩܕܫ ܠܗ ܀

ܘܟܕ ܡܫܠܡܝܢ ܘܐܬܝܢ ܠܘܬ ܪܝܫ ܟܗ̈ܢܐ ܂ ܘܪܥܝܐ ܩܪܐ ܀

ܒܫܘܠܛܢܐ ܕܡܠܬܟ ܡܪܝܐ ܐܠܗܐ
ܗܘ ܕܟܠܡܕܡ ܒܛܝܒܘܬܟ ܥܒܕܬ ܂ ܘܫܬܐܣܬ
ܬܐܒܝܠ ܒܨܒܝܢܐ ܕܝܚܝܕܝܐ ܕܝܠܟ ܂ ܗܘ ܕܝܗܒ
ܠܢ ܣܘܟܠܐ ܕܫܪܪܐ ܘܐܘܕܥ ܠܢ ܪܘܚܟ
ܒܣܝܡܬܐ ܂ ܗܝ ܩܕܝܫܬܐ ܂ ܗܝ

ejus exſultent Filii ejus; & cum apparuerit divinitas tua, obviam tibi lætus occurrat.

Definitionem Fidei.

Gaude, & lætare multum, ac lauda, o Sancta Eccleſia fidelis, quia ecce diſpoſita eſt in Te menſa deliciarum, & corpus ac Sanguis Chriſti hodie in Te glorioſe effertur in remiſſionem debitorum, & peccatorum Filiorum tuorum: Et ecce verus Pontifex ſtat in capite Gregis ſui in ſimilitudinem Simonis Principis Apoſtolorum & Sacerdotes inſtar Angelorum circumdant Sanctum Altare, *all.* & Spiritus ſanctificat illud.

Et dum perficiunt, & veniunt ad Principem Sacerdotum, (1) *& Paſtor arat.*

Poteſtate verbi tui, Domine Deus, qui omnia clementia tua feciſti, & fundaſti orbem voluntate Unigeniti tui, qui largitus es nobis intellectum veritatis, & notum feciſti nobis Spiritum tuum ſuavem, illum Sanctum,

(1) Arabica expoſitio adjecta habet. *Et cum primum circuitum perfecerint, vocatus flecti genua ſua, & omnes Epiſcopi imponunt manus ſuas ſuper caput ejus.*

ctum, illum principalem; qui Filium tuum dilectum Deum verbum Jeſum Chriſtum Dominum cæleſtium, & Terreſtrium dediſti Paſtorem, & medicum animabus noſtris, & Sanguine ejus precioſo ſtetit Eccleſia, & univerſus ordo Sacerdotii; & conſtituiſti ac dediſti nobis dirigentes ad id, quod placet tibi per agnitionem illam nominis Chriſti tui, quam multipliciter effudiſti ſuper omnem orbem. Tu, Domine, mitte ſuper hunc tuum ſervum Spiritum tuum ſanctum, & principalem ad hoc, ut paſcat, & viſitet Eccleſiam ſibi creditam, & ordinet in ea Sacerdotes, & Diaconos conſtituat; & conſecret altaria, ac Eccleſias; Domos benedicat, & perficiat invocationes efficaces; ſanet, & judicet; gubernet, & liberet; ſolvat, & liget; Exuat, & induat; & infigat, & ſegreget cum omni poteſtate quam dediſti Apoſtolis tuis; itaut ſit ſummus Sacerdos ad miniſterium, & quidem in onore Aaronis, in ordine Phinees, in virtute Diſcipulo-

[illegible]

[illegible]

lorum tuorum, in operatione Jacobi religioſi tui, in ſede Principis patrum Petri, ut populum tuum, oves hæreditatis tuæ, ſublevet per hunc ſervum tuum; concede etiam ei, Domine, Sapientiam, & ſcientiam, ut diſcat voluntatem tuæ Majeſtatis, & peccata dignoſcat, & ſciat definitiones juſtitiæ, & judicium, & ſolvat adinventiones profundas, & expellat omnia ligamina iniquitatis, quia tu es dator bonorum, & largitor ſapientiæ & chariſmatum divinorum, tibique gloriam attollimus nunc.

Deinde ſecundam proceſſionem inſtituunt, qua peracta, vocatus genuaflectit coram præſide. Epiſcopi Evangeliorum librum apertum teneant ſuper caput ejus, pariterque Diaconi flabella agitent ſuper Evangelium. Præſes vero extendat brachia ſua ſub libro ſuper caput Electi, & retrahat illa, elevet, & circumagat huc, & illuc cruciformiter tribus vicibus, & orat.

Domine creator omnium, qui

qui Sanctam Eccleſiam tuam ubique Sanguine pretioſo Unigeniti Filii tui erexiſti, & in ea omnem Sacerdotii ordinem conſtituiſti; Etiam nunc, Domine fortis, cum præſentia Pontificum adeſto tu quoque, & cum Evangelii tui Sancti impoſitione, tu etiam dexteram tuam potentiſſimam impone, & obumbra eum illapſu magnæ, & divinæ virtutis tuæ; & ſervum tuum hunc *N*, qui hic ſuſcipit chirotoniam iſtam, fac principem Eccleſiæ Sanctæ ſuper Civitatem *N*. Sapientia, & gratia, & tota tua cæleſti virtute imple illum, & humilitate, & fortitudine exorna eum cum magnanimitate, & manſuetudine; tribue ei, ut ſit vigil, caſtus, longanimis, diligens, nec argenti cupidum ipſum oſtendito: omnibus eum virtutibus exorna: omnem Sancti Spiritus operationem in eum emitte; adveniat ſuper eum virtus Evangelii, donum Prophetiæ, operatio virtutum: ut per manus impoſitionem dæmonia eiiciat, ſanitatem infirmis largiatur, & ſigna at-

que

[illegible]

[illegible]

que prodigia in populo tuo ad Sancti nominis tui gloriam faciat; quoniam Tu Dominus dominator noſter in omnibus es fortis, tibique convenit honor, & gloria unacum Filio tuo dilecto, ac Spiritu tuo Sancto nunc.

Deinde tertiam proceſſionem peragunt, qua finita, omnes ingrediantur, & Præſes ſumat ab electo binas Cruces, & tradat S. Evangeliorum librum clauſum eidem genuflexo, & hanc dicit orationem.

Domine Rex omnium Pater, & Deus; Tu miſerere ſervi tui hujus, qui præelectus eſt, ut ſit Paſtor Gregis tui rationalis. Nos enim, Domine cauſſa tua, (1) & poſſibilitas virtutis tuæ ſumus, queis auxilium præſtatur, Tu autem auxiliator es, & medicus, & Salvator, murus, ſpes, & locus refugii, gaudium, & expectatio, & vita; Tu Domine ades nobis in omnibus, quæ nobis auxilium

xilium

(1) Hiſce expreſſionibus declaratur, quod Deus ſit prima & unica cauſſa, & virtus, quæ rebus eſſentiam, & virtutes, auxilia & cætera bona omnia creaturis obvenientia dat, & efficit, homines verò ſunt ſecunda, & inſtrumentalis cauſſa, ac organum divinæ potentiæ, & operationis, per ipſos enim Deus uſquemodo operatur omnia omnibus intime præſens.

xilium præſtant, qui ante ſæcula es, & in ſæculum ſæculorum permanes ſine principio, & ſine fine tuæ Antiquitatis (1).

Precamur Domine, adiuva nos, & complaceat tibi ac perfice, omnia enim potes, quia Tu es Princeps omnium Principum, & Dominus omnium Dominantium, rex Regum; & Imperator Imperantium. Tu tribue poteſtatem per Spiritum tuum Sanctum ſervo tuo huic *N*, qui accepit impoſitionem manus, ſolvendi, quæ ſolvenda ſunt, & ligandi, quæ liganda. Tu ſapientem redde illum, Tu dirige eum, Tu per Evangelium, quod eſt in manibus ejus, Eccleſiam Sanctam, ſicut Sponſam dilectam, exorna, & cuſtodi, quia tibi per omnia convenit gloria, & honor unacum Filio tuo dilecto, & Spiritu tuo Sancto, & conſubſtantiali, nunc.

Deinde accipit de manu ejus Evangelium, & orat.

Tu es Domine Deus, qui omnia contines, qui ſolus

ܡܢ ܩܕܡ ܥܠܡܝ̈ܢ ܡܬܝܕܥܬܐ ܗܘ̇ ܘܕܥܡ ܥܕܡܟ
ܥ̈ܠܡܐ ܐܡܝܢ· ܘܥܕܥܠܡ ܠܥܠܡܝ̈ܢ
ܡܩܘܐ ܐܢܬ ܕܠܐ ܫܘܪܝܐ ܘܠܐ ܫܘܠܡܐ
ܠܥܬܝܩܘܬܟ· ܒܥܝܢ ܡܢܟ ܡܪܝ ܥܕܪܝܢ
ܘܫܡܠܐ ؛ ܕܟܠܡܕܡ ܓܝܪ ܡܨܐ ܐܢܬ
ܡܛܠ ܕܐܢܬ ܐܝܬܝܟ ܪܫܐ ܕܟܠܗܘܢ ܪ̈ܫܢܐ ؛
ܘܡܪܐ ܕܟܠܗܘܢ ܡܪ̈ܘܬܐ ؛ ܡܠܟܐ ܕܡ̈ܠܟܐ ؛
ܘܫܠܝܛܐ ܕܫܠܝ̈ܛܢܐ ؛ ܐܢܬ ܗܒ ܫܘܠܛܢܐ
ܒܝܕ ܪܘܚܟ ܩܕܝܫܐ ܠܥܒܕܟ ܗܢܐ ܦܠܢ
ܕܩܒܠ ܣܝܡ ܐܝܕܐ ܕܢܫܪܐ ܐܝܠܝܢ ܕܫܘܐ
ܠܡܫܪܐ ؛ ܘܢܐܣܘܪ ܠܡܐܣܘܪ ܐܝܠܝܢ
ܕܫܘܐ ܠܡܐܣܪ ؛ ܐܢܬ ܚܟܡܝܗܝ ؛ ܐܢܬ
ܬܪܘܨܝܗܝ ܐܢܬ ܒܝܕ ܐܘܢܓܠܝܘܢ ܕܒܝܕܗ
ܐܝܬܘܗܝ ܠܥܕܬܟ ܩܕܝܫܬܐ ܐܝܟ ܟܠܬܐ
ܚܒܝܒܬܐ ܨܒܬ ܘܢܛܘܪ ؛ ܡܛܠ ܕܠܟ
ܒܟܠܗܘܢ ܝܐܐ ܫܘܒܚܐ ܘܐܝܩܪܐ ܥܡ ܒܪܟ ܚܒܝܒܐ
ܘܪܘܚܟ ܩܕܝܫܐ ܘܫܘܐ ܒܐܘܣܝܐ· ܗܫܐ ✠
ܒܬܪ ܢܣܒ ܐܘܢܓܠܝܘܢ ܡܢ ܐܝܕܗ ܘܡܨܠܐ ✠
ܐܢܬ ܗܘ ܡܪܝܐ ܐܠܗܐ ܕܐܚܝܕ ܟܠ·
ܗܘ

(1) Alluſio fit ad illas Scripturæ expreſſiones, in quibus Deus antiquus dierum audit.

es ſine principio, & ſine fine, qui in ſæculum permanes, & ante tempora exſiſtis, qui in nulla re deficis, & cauſſa omni ſuperior es, qui ſolus bonus es, qui incomparabilis es, qui noſti quod erit, antequam fiat, & cui nota ſunt ea quę ſunt occulta, qui ſuper omnia es, qui es Dominus, & Deus, & Pater Unigeniti Jeſu Chriſti Filii Dei Salvatoris noſtri, qui feciſti omnia, quui cura eſt omnium populorum, qui es Pater miſericordiarum, & Deus totius creaturæ, qui habitas in excelſis, & humilia reſpicis, qui dediſti definitionem Eccleſiæ tuæ per adventum corporalem Chriſti tui teſtificans de paraclito per Apoſtolos. Et nos harum rerum Doctores gratia tua conſtituimus Epiſcopos, ſicut eos quos ab initio definiiſti propter ſtabilimentum populi tui antiquitus, Abelem, & Seth, & Enos, & Cainan, & Malalaielem, & Jared, & Henoch, & Matuſalem, & Lamech, & Noe, & Sem, & Melchiſedech, & Job. Qui apparuiſti Abrahamo, Iſaaco,

Jacobo, Moyſi, & reliquis Patriarchis cum illis fidelibus tuis & tibi placentibus, Aaron Sacerdote, & Eleazaro, ac Phinees, ex quibus conſtitit Sacerdotium, & lex teſtimonii; qui Samuelem elegiſti Sacerdotem, & Prophetam, & ſuper vaſa Sanctuarii, quæ ad miniſterium tuum elegiſti, ipſum conſtituiſti, ut glorificaretur nomen tuum in eis.

Hic ungit caput ordinati chriſmate tribus vicibus in Crucis formam dicens.

Complaceat etiam modo tibi, Domine Deus noſter, & per oleum tuum, ✠ perque manus noſtras, effunde virtutem præfecturæ Spiritus tui ſuper hunc famulum tuum N, ut miniſterium exhibeat Filio tuo dilecto Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui voluntatem tuam ſanctam honorificavit, ſeu declaravit, Apoſtolis tuis, o Deus ſeculorum; Da huic ſervo tuo, ut paſcat oves tuas, huic (*nempe*) quem elegiſti, ut eſſet Epiſcopus, & primitias ſine reatu offerret, purus in conſpectu tuo miniſte-

[illegible]

ſterium exhibens die ac nocte, & congregans oves, quas redemiſti, offerat tibi oblationes in Eccleſia Sancta.

Deinde iterum Pontifex hic ungit volas manuū ejus in Crucis formam a pollice dexteræ ad indicem ſiniſtræ, & a pollice ſiniſtræ ad indicem dextræ: tum utramque claudit dicens, & orans.

Et da ei Domine Deus omnipotens per unctionem tuam ✝ lętitiā ſpiritus tui Sancti, ut poteſtatem habeat dimittendi peccata ſecundum verbum tuum, & concedat propitiationem juxta promiſſionem tuam, & det confirmationem juxta præcepta tua, & diſſolvat ligamina juxta poteſtatem, quam dediſti Apoſtolis tuis, placeatque tibi in manſuetudine, & caritate, & in corde puro ſine mutatione, & macula, & ſine ignorantia offerens tibi ſacrificia pura, & incruenta; Tu, qui per unguentum ordinaſti myſteria teſtamenti novi in odorem ſuavem per Filium tuum Jeſum Chriſtum Deum Salvatorem noſtrum per quem tibi convenit gloria.

ria, & honor, & adoratio, & Spiritui Sancto æqualiter.

Et erigit eum, ac orat Ephræmiticam precem.

Deus, qui habitaculum ſuum defixit ſuper altum Sinai montem, & dedit Spiritum Prophetiæ Moyſi maximo Prophetarum. Fortis, qui dedit Sacerdotium Aaroni Sacerdoti veraci, illumque ornavit Pontificatu, & dignitate ſummi Sacerdotii. Creator, qui effudit miſerationes ſuas ſuper tentorium Levitarum, ſuper Eleazarum Sanctum, & Ithamar illum fidelem. Qui elegit Samuelem, & David Prophetam magnum, eoſque conſtituit in medio domus ſuæ ſapientes, & Rectores. Laudabilis, qui demiſit dexteram ſuam, & habitare fecit virtutem Spiritus Sancti ſuper Diſcipulos ſuos ſanctos in cænaculo, & in Monte Olivarum. Et fecit eos ſecundum gratiam ſuam theſaurarios Divinitatis ſuæ, deditque in manus eorum Poteſtatem, & Sacerdotium, & prophetiam. Et tradidit eis claves Cœli, & theſaurum divinitatis

ܕܫܠܝܚܘܬܗ܆ ܕܢܫܪܘܢ ܘܢܐܣܪܘܢ ܘܢܚܣܘܢ܆
ܚܛܗ̈ܝܗܘܢ ܕܒܢܝ̈ܢܫܐ. ܘܐܬܕܒܪܬ ܡܢܗܘܢ ܘܐܬܬ
ܟܗܢܘܬܐ ܡܢ ܕܪ ܠܕܪ. ܘܩܒܠܬ ܡܢܗܘܢ
ܟܗܢܘܬܐ܆ ܕܐܬܬ ܘܡܛܬ ܠܡܚܝܠܘܬܝ.
ܘܩܒܠܬܗ ܒܛܝܒܘܬܗ܆ ܟܕ ܠܐ ܫܘܝܐ
ܡܚܝܠܘܬܝ. ܘܗܐ ܩܐܡ ܐܢܐ ܝܘܡܢܐ܆ ܠܘܬ
ܬܪܥܗ ܕܐܠܗܘܬܐ. ܘܡܬܟܫܦ ܐܢܐ ܘܡܬܒܥܐ
ܐܢܐ܆ ܒܬܢܚܬܐ ܡܢ ܛܝܒܘܬܗ. ܕܢܫܕܪ ܚܢܢܐ
ܕܛܝܒܘܬܗ܆ ܘܡܥܕܪܢܘܬܐ ܕܐܠܗܘܬܗ.
ܘܡܘܗܒܬܐ ܕܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ܆ ܘܝܡܝܢܐ ܕܗܘܝܬܗ
ܟܣܝܬܐ܆ ܥܠ ܥܒܕܗ ܗܢܐ. ܕܓܒܝܗܝ܆ ܕܢܗܘܐ
ܪܥܝܐ ܕܡܪܥܝܬܗ. ܘܢܬܠ ܠܗ ܕܟܝܘܬܐ܆
ܘܕܘܒܪ̈ܐ ܕܡܝܬܪܘܬܐ. ܘܢܗܘܐ ܒܒܝܬܗ
ܪܒܝܬܐ܆ ܘܡܕܒܪܢܐ ܡܗܝܡܢܐ.
ܘܢܩܝܡܝܘܗܝ ܥܠ ܗܘ ܕܪܓܐ܆
ܕܫܡܥܘܢ ܘܝܥܩܘܒ ܘܝܘܚܢܢ. ܗܢܘܢ
ܕܗܘܘ ܡܬܥܠܝܢ. ܒܕܘܒܪ̈ܐ ܕܩܕܝܫܘܬܐ.
ܘܢܚܘܬ ܥܠܘܗܝ ܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ܆
ܒܣܝܡܘܬ ܐܝܕܐ ܕܚܛܝܐ܆
ܐܝܟ ܕܢܚܬ ܥܠ ܫܠܝܚܘܗܝ
ܩܕܝ̈ܫܐ

tatis ſuæ, ut ſolverent, & ligarent, ac expiarent hominum peccata. Et deductum eſt ab eis, ac venit Sacerdotium a generationibus in generationes. Et accepi ab eis Sacerdotium, quod venit, & pervenit ad infirmitatem meam. Et ſuſcepi illud per gratiam ejus, cum mea imbecillitas eſſet indigna, & ecce Sto hodie ad portam divinitatis. Et peto ac ſupplices in ſuſpirio fundo preces bonitati ejus, ut immittat Clementiam gratiæ ſuæ, & auxilium divinitatis ſuæ. Et donum Spiritus Sancti, & dexteram eſſentiæ ſuæ abſconditæ, ſuper ſervum ſuum hunc, quem elegit, ut ſit Paſtor gregis ſui. Et concedat illi puritatem, & mores præſtantes, ſitque in domo ejus diſpenſator, & Rector fidelis. Et conſtituat eum ſuper illum gradum Simonis, Jacobi, & Johannis, qui ſublimes fuerunt in moribus ſanctimoniæ; Et deſcendat ſuper eum ſpiritus ſanctus, cum impoſitione manus mei peccatoris ſicut deſcendit ſuper

ejus

ejus Diſcipulos in medio cænaculi benedicti. Et ſit ei Sacerdos rectus, & Rector Sapiens, & mediator plenus Sapientia, qui æmuletur bona opera. Et in die qua apparueris, ut unicuique homini retributionem des ſuam, exeat in occurſum adventus tui in lampade lucis operum ſuorum. Et introeat tecum ad accubitum pſallatque gloriam gratiæ tuæ, Pater, Fili, & Spiritus Sancte, unus Deus verus.

Diaconus predicat ut in ordine Archipresbyteri, ſeu Churoio: *vel.* argentum electum.

Benedictus eſt Chriſtus, qui Te, Eccleſia, deſponſavit in ſua crucifixione; & diſponens conſtituit in Te altare Sanctitatis. Fregit in Te corpus ſuum, & Sanguinem vivum in remiſſionem peccatorum, ut eo ſplendeas inſtar vigilum. Laudes puræ, cum pſalmis, & cantibus, Tibi offeruntur in Eccleſia tua, Domine noſter.

Paulus ex Epiſtola ad Hebreos.

Fratres mei, quoniam ergo habemus Pontificem magnum,

Je

ܒܓܘ ܥܠܝܬܐ ܡܒܪܟܬܐ. ܘܢܗܘܐ ܠܗ ܟܘܡܪܐ
ܬܪܝܨܐ܆ ܘܡܕܒܪܢܐ ܚܟܝܡܐ. ܘܡܨܥܝܐ
ܡܠܝ ܚܟܡܬܐ܆ ܕܢܛܢ ܒܥܒܕܐ ܛܒܐ܆
ܘܒܝܘܡܐ ܕܒܗ ܕܢܚ ܐܢܬ܆ ܕܬܬܠ
ܠܟܠܚܕ ܦܘܪܥܢܗ. ܢܦܘܩ ܠܐܘܪܥܐ
ܕܡܐܬܝܬܟ܆ ܒܠܡܦܐܕ ܢܘܗܪܐ ܕܥܒܕܘ̈ܗܝ.
ܘܢܥܘܠ ܥܡܟ ܠܓܢܘܢܐ܆ ܘܢܙܡܪ
ܫܘܒܚܐ ܠܛܝܒܘܬܟ܆ ܐܒܐ
ܘܒܪܐ ܘܪܘܚܐ ܩܕܝܫܐ܆ ܚܕ ܐܠܗܐ ܫܪܝܪܐ ✠
ܡܫܡܫܢܐ ܡܟܪܙ ܕܒܛܟܣ ܟܘܪܐܝܐ܆
ܐܘ ܣܐܡܐ ܒܚܝܪܐ ✠
ܒܪܝܟ ܡܫܝܚܐ ܕܡܟܪܗ ܠܟܝ ܥܕܬܐ
ܒܙܩܝܦܘܬܗ܆ ܘܐܬܩܢ ܒܟܝ܆ ܡܕܒܚܐ
ܩܘܕܫܐ. ܩܨܐ ܒܟܝ ܦܓܪܗ ܘܕܡܗ ܚܝܐ
ܠܫܘܒܩܢ ܚܛܗܐ܆ ܕܒܗ ܬܙܠܓܝܢ
ܒܕܡܘܬܐ ܥܝܪܐ܆ ܫܘܒܚܐ ܕܟܝܐ. ܥܡ
ܡܙܡܘܪܐ ܘܩܠܐ ܩܕܝܫܐ܆ ܠܟ
ܡܬܩܪܒܝܢ ܒܥܕܬܟ ܡܪܢ ✠
ܦܘܠܘܣ ܡܢ ܐܓܪܬܐ ܕܥܒܪ̈ܝܐ ✠
ܐܚܝ܆ ܡܛܠ ܕܐܝܬ ܠܢ ܗܟܝܠ ܪܒ ܟܘܡܪܐ
ܪܒܐ

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

Jeſum Chriſtum Filium Dei, qui aſcendit in cælum. *&c. uſque*. Et factus eſt omnibus, qui obediunt ipſi, cauſa vitæ ęternæ. Et ipſi.

Antiphona.

Diffuſæ ſunt gratiæ ſuper labia tua, propterea benedixit te, Deus, in æternum. Alleluja.

Paſtor legit Evangelium ex Joanne n. 26.

Amen, amen dico vobis, qui nonintrat per oſtium *&c. uſque*. Numquid dæmonium poteſt aperire oculos cæci. Et pax.

Hic præſes abluat manus ſuas, ordinatus vero caput ſuum, & manus. Archidiaconus prædicat:

Chriſte Deus omnium noſtrum. Tu es ille, qui elegit ſibi in medio Eccleſiæ ſuæ Sanctæ Sacerdotes caſtos, & veraces, ut cum puritate Sacerdotio fungantur, & concorditer cum cætibus Seraphim ſuperiorum tremulo circumagant motu (1). Precamur.

Chri-

(1) Expreſſio mihi videtur alludere ad cæremoniam ſæpius expreſſam in Ritualibus, qua præſcribitur, ut manus tremulas circum myſteria agant, & motent, quo ritu deſignatur commotio, & ardor animi in tractandis Sacris, atque reverentia non abſimilis ab illa qua Seraphim tremulo motu alas ſuas Symbolicas agitant dum Divinæ eſſentiæ obſequia exhibent ſua.

Chriſte, qui es cognitor occultorum, & ſcrutator cordis & renum; qui elegiſti, & obtuliſti hunc ſervum ſuum N. ad ordinem excelſum, & ſublimem Aaronis ſummi Sacerdotis Levitarum, Adoramus.

Chriſte. Qui a Cherubim benediceris, & a Seraphim ſanctificaris, & ab Angelis glorificaris, & a vigilibus exaltaris, ac ab igneis collaudaris, atque a Spiritualibus celebraris: Deprecamur.

Chriſte. Cui aſſiſtunt mille millium, & myriades myriadum ſubiectæ ſunt, & celeres ad miniſterium Dominationis tuæ; & conſtituiſti tibi in Eccleſia Sancta Sacerdotes, & Antiſtites de genere terrenorum, ut tibi perpetuo Sacerdotio fungerentur; teque laudarent: Supplicamus.

Chriſte. Qui verbo tuo vivifico, & gratia tua divina præcepiſti omnibus Sacerdotibus, ut diligenter vigilarent, & parati eſſent in hoc Sacerdotio, ad quod promoti ſunt, & quod acceperunt: Precamur.

[illegible]

Chriſte. Condonator debitorum, & propitiator peccatorum, qui peccatrici remiſiſti, & Latroni propitiatus es, & Zachei miſertus fuiſti, atque Simonem ſuſcepiſti, & ſuper David miſericordia motus es, Hunc etiam ſervum tuum per Sanctam tuam obumbrationem, propitiatione dona: Adoramus.

Chriſte. Altiſſimus, qui tremere facit Supernos, & Infernos terrore percellit, ipſe ſecundum miſerationes ſuas ſuſcipiat preces, & orationes noſtras, & dignos efficiat nos omnes, qui miſceamur, & inſeramur turmis, & ordinibus eorum, qui faciunt voluntatem ejus. Obſecramus.

Chriſte. Propitius eſto nobis ſecundum miſericordiam tuam, & rege nos clementia tua, ac paſce nos gratia tua, & deprecationem noſtram perfice pro ſervo tuo iſto, quem elegiſti; & ſuſcipe pſalmodiam, collaudationes, lectiones, & prædicationem noſtras; atque impoſitionem manuum, quam hodie

hodie accepit, & unam vocem trinam, qua placatur divinitas tua, mereamur emittere tribus (*ſcilicet*) vicibus, Kyr. Kyr. Kyr.

Epiſcopus dicit.

Chriſte Deus noſter, qui gemitum vincti audis, & Filios ſolvis a morte; Exaudi Domine, propter miſericordiam tuam, orationes ſervorum tuorum, qui colligati ſunt charitate, & fide, quæ in Te eſt; & retribue eis cæleſtia pro terrenis, ac ſuſcipe ſecundum gratiam tuam prædicationem ſervi tui Diaconi Altaris tui, & condona peccata gregis tui, qui adorat Crucem, & confitetur Trinitatem tuam.

Et imponit dexteram ſuam capiti ejus, & in fronte eum ſignat voce ſuavi dicens. (1).

Ordinatur in Eccleſia Sancta Dei.

Et reſpondet unus Epiſcopus.

N. pro Eccleſia Sancta Ci- vita-

(1) Rubrica Arabica Concilii Præſidem dexteram imponere debere ſuper Ordinati caput declarat, ei alta, claraque voce dicendo quod ſequitur, eumque in fronte ter ſignare ad Trinitatis invocationem præſcribit.

ܦܠܢ ، ܡܒܪܟܬܐ ܡܕܒܪܢܘܬܐ ܀
ܘܐܡܪ ܪܥܝܐ ܀ ܦܠܢ ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܕܥܕܬܐ
ܩܕܝܫܬܐ ܕܐܪ̈ܬܘܕܘܟܣܐ ܕܩܕܡܬ ܐܬܩܪܝܬ
ܒܫܡܐ ✠ ܕܐܒܐ . ܐܡܝܢ ✠ ܘܒܪܐ
ܐܡܝܢ ✠ ܘܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ ܠܥܠܡܝܢ ܐܡܝܢ ܀
ܘܡܩܝܡ ܠܗ ܒܝܡܝܢܗ ܘܐܡܪ ܚܕ ܡܢ
ܐܦܝܣܩܘ̈ܦܐ ܬܠܬ ܙܒܢܝܢ ܩܘܪܝܐ
ܐܘܠܘܓܝܘܢ ܘܡܟܝܠ ܟܠ ܙܒܢ ܥܢܐ ܥܡܐ
ܩܘܪܝܠܝܣܘܢ ، ܘܗܝܕܝܢ ܢܣܒ
ܦܢܝܬܐ ܘܡܠܒܫ ܠܗ ܟܕ ܐܡܪ ܀
ܠܫܘܒܚܐ ܘܠܐܝܩܪܐ ܘܠܗܕܪܐ ܘܠܪܘܪܒܐ
ܕܬܠܝܬܝܘܬܐ ܩܕܝܫܬܐ ܘܡܫܘܬܦܬ ܒܐܘܣܝܐ ܘܠܫܝܢܐ
ܘܠܒܢܝܢܐ ܕܥܕܬܐ ܩܕܝܫܬܐ ܕܐܠܗܐ ܀
ܘܣܐܡ ܠܗ ܡܨܢܦܬܐ ܟܕ ܐܡܪ ܀
ܠܫܘܒܚܐ ܘܠܐܝܩܪܐ ܘܠܗܕܪܐ ܘܠܪܘܪܒܐ
ܕܬܠܝܬܝܘܬܐ ܩܕܝܫܬܐ ܀
ܘܥܢܝܢ ܒܬܪܗ ܐܦܝܣܩܘ̈ܦܐ ܘܟܠܗ ܩܠܝܪܘܣ
ܘܡܘܬܒܝܢ ܠܗ ܒܟܘܪܣܝܐ ܒܕܪܓܐ ܪܡܐ
ܟܕ ܐܦܘܗܝ ܠܡܥܪܒܐ ܟܕ ܡܨܠܐ ܀
ܠܫܘܒܚܐ ܘܠܐܝܩܪܐ ܘܠܣܓܕܬܐ ܘܠܗܕܪܐ
ܕܬܠܝܬܝܘܬܐ

vitatis *N.* Diæceſis benedictæ.

Et dicit Paſtor.

N. Epiſcopus Sanctæ Ecclesiæ orthodoxorum, quæ prænominata eſt, In nomine Patris ✠. *Amen.* Et Filii ✠. *Amen.* Et Spiritus ✠ Sancti in ſæcula. *Amen.*

Et erigit cum dextera ſua, & dicit unus (Epiſcoporum tribus vicibus.) in alio Ms. Codice legitur Kyrie Euloghion Kyriologion *& qualibet vice reſpondeat populus* Kyrie eleiſon. *Deinde accipit planetam, & induit eum dicens.*

Ad gloriam, & honorem, & decorem, & exaltationem Trinitatis Sanctiſſimæ, & conſubſtantialis, & ad pacem ædificationemque Eccleſiæ Sanctæ Dei.

Et imponit ei mithram dicens.

Ad gloriam, & honorem, & decorem, & exaltationem Trinitatis Sanctiſſimæ.

Et poſt ipſum reſpondent Epiſcopi, & univerſus clerus, & collocant eum in ſede in gradu ſublimi verſa facie ad occidentem; & proſequitur (Præſes) orans.

Ad gloriam, & honorem, & adorationem, & decorem Tri-

Trinitatis Sanctiſſimæ Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; Et ad ædificationem Eccleſiæ Sanctæ collocamus hunc ſervum tuum ſuper ſedem Sacerdotii Eccleſiæ Sanctæ Dei, & Sancti Domini *N.* Civitatis *N.* cum poteſtate Epiſcopi ſuper Periodeutas, & ſuper Presbyteros, & Diaconos ſubiectos ei in tota hyparchia illius. In nomine Patris ✠. *Amen*. Et Filii ✠. *Amen*. Et Spiritus ✠ Sancti in ſæcula. *Amen*.

Et apprehendunt Epiſcopi, ac Presbyteri ſedem, illamque ter elevant poſt Paſtorem incohantem, reſpondentes. Axios dignus, & juſtus. *Et ſimiliter populus ter clamet.* Axios, dignus, & juſtus. *Deinde tradit ei baculum in dextera ejus, & clamant.*

Virgam virtutis emittet tibi Dominus ex Sion, & dominaberis ſuper inimicos tuos.

Paſtor orat & dicit.

Domine, qui dediſti Moyſi Sacerdotium & Prophetiam, & dediſti ei virgam in manu, ut eſſet ſignum prodigii, & præcepiſti ei, ut in virga ſua liberaret populum tuum

[illegible]

[illegible]

a ſervitute Ægyptiorum, & in virga fecit (*Moiſes*) ſigna ſtupenda in terra Ægypti, & in virga vicit Pharaonem, & eduxit Filios Iſrael; Tu, (*Domine*) etiam nunc per gratiam tuam, & clementia manſuetudinis tuæ benedicito huic ſervo tuo per baculum iſtum, quem accepit, & fiat ei in ſignum pacis, & Arrhabonem juſtitiæ nunc.

Et erigit eum ducitque ad portam Altaris, & tradit ei gregem ejus, & omnes Sacerdotes, & clericos ſub manu ejus, & Eccleſiam, & omnia myſteria ejus, & admonet eum omnibus audientibus, & dicit. (1)

Dilectiſſime mi, ecce nunc dico tibi ſingulariter, & Fratribus tui Sacerdotibus adſtantibus nobiſcum in hoc inſtanti, qui participes fiunt nobiſcum horum Sanctorum, & divinorum, hoc eſt Sancti, & honorabilis, & præſtantis Sacerdotii. Nunc itaque audite omnes quæ ab exiguitate noſtra vobis dicuntur, dile-

(1) Hic expoſitio Arabica inſeritur, quæ verſio Literalis Syriacæ Rubricæ non male dici poteſt.

dilectiſſimi mei. Ecce nunc divina gratia vobis, Pontifices, Archipresbyteri, Periodeutæ, Presbyteri, & Diaconi, prout dignum eſt, elegit, vocavit, & Epiſcopum ordinavit in Eccleſia Sancta Dei ad titulum Civitatis benedictæ *N.* Ergo, uti homines, qui electi, & illuminati ſunt operatione & virtute Spiritus Sanctiſſimi, qui vitæ principium eſt; diligenter, ac ſollicite intenti curate in meditatione aſſidua, & frequentibus cogitationibus perficere verba divina, & librorum Sanctorum ac vivificantium; Præſertim vero ut, prout Deo dignum eſt, Deo, qui vocavit vos, cultum exhibeatis & ſervitutem, implentes omnia bona opera conſequentia, & congruentia vocationi huic magnæ, & in omnibus admirandæ. Omnem igitur inanem gloriam hominum, & ſuperbiam, atque arrogantiam a vobis procul abigite; Et prohibete, atque abiicite a vobis omnem contumeliam, & convicia quæ in vobis acciderint, ut omnia, & ſingula verba menda-

[illegible]

dacia, ac falſa eſſe comprobare haud ſolliciti ſtudeatis (1), ſed potius, cum vituperamini, laudate. Cum iniqua ſuſtinetis, ſuper iniqua agentes bene cogitate ſemper, & in omni tempore, & pro iis omnibus qui vos exagitant, & opprimunt, deprecamini, & orate Dominum, & honorem pro contumelia retribuite iis, qui vos injuria afficiunt; Et cum hæc ita feceritis, & impleveritis in juſtitia, mereamini illam beatitudinem, quam Dominus noſter edixit: Beati vos, cum vituperaverint vos, & perſecuti vos fuerint, & dixerint de vobis omne verbum malum mentientes; gaudete tunc, & exultate, quia merces veſtra multa eſt in Cœlo. Atque etiam in alio loco dixit. Orate pro illis, qui in violentia vos ducunt, & perſequuntur vos, ut ſitis Filii Altiſſimi. Et S. Apoſtolus dixit: Nolite dare locum irae, ſed vincite in bono malum; ſervuum

(1) Verſio Arabica e margine adjecta hanc periodum ita exponit, & nullum omnino verbum mendax a vobis prolatum audiatur. Sed imo, ſi quis vobis maledixerit, gratias agite;

vum enim Dei non decet eſſe litigioſum, ſed oportet, ut ſit manſuetus & humilis erga omnem hominem. Et adhuc alio in loco dixit: Regnum Dei non habetur per cibum, & potum, neque per contradictionem, & diſcordiam, ſed per pacem, quietem, & caritatem, & concordiam Spiritus Sancti; neque ſerviatis paſſionibus ferarum propriis, & naturæ extraneis; dico, ſcilicet, de ira ferarum propria, & ebrietate vini, quæ menſuram, & rectum ordinem prætergreditur; de voracitate, de inani gloria, Luxuria, Tyrannide, amore pecuniæ, ventris concupiſcentia; deſideria autem temporis, & confuſionis contemnentes, rapinam bonorum; & horum raptores, qui modo exiſtunt, ſine murmuratione & ſenſu ſuſtinete; ad hæc ſpernite, & ſuſtinete omnia tormenta mortem inferentia, ipſam etiam mortem quieti ſuſtinentes; Et cum in his omnibus fueritis parati ad ſuſtinendum, quæ vobis acciderint, læti omnia ferte adeo ut ne in

[illegible]

in uno quidem verbo ſimplici rei ſitis, neque in cogitatione veritatem orthodoxam deſeratis, aut ab amore illius ſeparemini, & alieni ſitis. Amodo cum tenemur providere, & dirigere ſupplementum omnium defectuum Eccleſiæ, gaudentes in poteſtate veſtra, & veſtro ad Deum acceſſu, vocamus vos, & ducimus, & promovemus ad Sacrum Altare, & ad miniſterium divinorum Sacramentorum, Sperantes quod ſufficientes, & digni futuri ſitis vocatione hac Sancta Dei, ad quam vocati, & promoti eſtis. Veſtrum igitur eſt modo, & vobis impoſita eſt obligatio, ut recte ſatagatis, & diligenter impleatis omnia ea, quæ Deo placent; ſed & pro accepto honore retribuatis charitatem honorantibus & promoventibus vos. Ego autem aliam etiam obligationem impono vobis ſupplicatione charitatis, non coactione, ut quandocumque impo-

[illegible]

ponetis jugum Chriſti ſuper colla veſtra, & accedetis ad hoc Sanctum miniſterium, memores ſitis meæ imbecillitatis coram Deo. Attendite etiam, dilectiſſimi, ne propter verbum, quod audiſtis dictum a nobis, in judicio enim, & vin dicta periculum eorum erit qui admoverunt vos, (1) vocet vos cogitatio indiſciplinata, & ad vitam mollem, atque remiſſam vos trahat, ad implenda deſideria carnis, exiſtimantes, quod vobis peccantibus ab aliis peccatorum veſtrorum ultio exigatur. Nolite errare ſed bene ſcitote, quod æquum, & juſtum eſt judicium Dei, qui in veritate, & juſtitia reddet unicuique juxta opera ejus: Et ipſi ſit gloria, ac ſuper nos miſericordia ipſius in ſæcula Amen.

Epiſcopus convertitur ad Altare, & dicit.

Gratias agimus tibi, Domine noſter Jeſu Chriſte omnipotens, & omnium Domine, quia multiplicaſti erga nos miſericordiam tuam, ut

(1) Paraphraſis Arabica habet: Scilicet, quod vindicta erit iis, qui vos promoverunt.

Viſitares infirmitatem noſtram, & ditares paupertatem noſtram , noſque errantes revocares , & habitaret in nobis Sanctitas tua , nobiſque placaretur miſeratio tua , ac in nobis voluntas tua impleretur . Etiam nunc confitemur , & adoramus Divinitatem tuam , & tuam gratiam ſupplices oramus , quæ ſuper ſervum tuum hunc Epiſcopum *N.* deſcendit , & per ejus illapſum conſummatus eſt , precamur & obſecramus Te , ut perficias cum eo donum tuum plenum vita , & facias eum in domo tua æconomum fidelem , & pro Altari tuo miniſtrum perfectum, & in medio Eccleſiæ tuæ diſpenſatorem purum , & elige nos , & illum in bonum , & virtute tua averte mala a nobis , & dignos nos effice per tuas æternas miſerationes , qui adſtemus tibi cunctis diebus vitæ noſtræ ſine reprehenſione ulla , & moribus præclaris , ac bonis operibus poſſideamus fiduciam coram Te , ut audeamus , & confiteamur genitori tuo , & dicamus , ac oremus .

Et dicunt. Pater noſter, qui es in Cœlis.

Diaconus. Capita noſtra Domino inclinemus.

Paſtor.

Domine Deus Spirituum, & univerſæ carnis, qui ſedes in pulcherrimo throno magnitudinis tuæ in excelſis altiſſimis, & abyſſos infimas introſpicis; convertere ad ſervos tuos infirmos, & peccatores, qui colla ſua tibi humiliaverunt; benedic eos dextera tua plena omnibus benedictionibus, & cuſtodi eos virtute tua inexpugnabili; & ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos a malo, & ab omnibus fraudibus ejus, & a laqueis ac operationibus ejus, quoniam tuum eſt regnum, & virtus, & laus in ſæculum ſæculorum. Amen.

Archidiaconus. Ipſi Deo gloria.

Paſtor orationem completorij.

Pater bone, & Domine miſericors, cujus miſerationes expanſæ ſunt ſuper omnes illos, qui invocant te in fide, & charitate; expande pro-

ܘܐܡܪܝܢ ܐܒܘܢ ܕܒܫܡܝܐ ܀

ܡܫܡܫܢܐ ܪܫܝܢ ܠܡܪܝܐ ܢܪܟܢ ܀

ܪܥܝܐ ܀

[illegible]

propter benignitatem tuam, miſerationes tuas ſuper hunc populum, qui in nomine tuo congregatus eſt, & funda nos atque confirma dextera tua potenti, & brachio tuo excelſo a nequitia hominum malorum, & ab adverſariis, atque a tentationibus inimici; a gladio, captivitate, fame, & peſte, & ab omnibus malis flagellis, & concede nobis ſecundum gratiam tuam pacem, tranquillitatem, & ſanitatem cunctis diebus vitæ noſtræ, & quietem præſta Defunctis Fidelibus; Et in manſionibus lucis, in locis Sanctis, in hieruſalem cæleſti cum omnibus, qui placuerunt voluntati tuæ, inhabitare jubeas animas obdormientium, qui ex hac congregatione exierunt cum vera in te Fide; & dignos redde nos ſervos tuos peccatores, qui ſuave tuum jugum portavimus, & domeſtici etiam tui conſcripti fuimus & nomen tuum Sanctum invocatum eſt ſuper nos, ut in pietate ac juſtitia ſtemus coram Te cunctis diebus vitæ noſtræ ſine macula & reatu, atque pure, & Sancte

Sanƈte miniſtremus Altari tuo Sanƈto, & in juſtitia proficiamus, atque talentum, quod a te accepimus, negotiemur, ac ſuperlucremus multa duplicia, & in die tremenda adventus tui læti occurramus tibi portantes lucra bonorum operum noſtrorum; atque tecum ingrediamur ad thalamum, attollamuſque gloriam & confeſſionem nomini excelſo Trinitatis Sanƈtiſſimæ, Patri, Filio, & Spiritui Sanƈto, nunc, & Semper, & in Sæcula Sæculorum. Amen.

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

CHIRO-

CHIROTONIA PATRIARCHARUM

Item Ordo Sublimis Chirotoniæ laudandæ in conſummatione perfectionis Chariſmatum Sacerdotalium Spiritus Deificantis, per quam Patriarchæ Electi ordinantur in ſuo gradu primo in celſitudine Suprema, & Metropolitani; ac Epiſcopi in ſuis gradibus per manus Patriarchæ inthronizantur.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Primum autem nobis convenit modum oſtendere electionis, & ordinationis Patriarchæ, hoc eſt Patris Principum. Quando itaque illius, qui eligitur in Spiritu Sancto, facta fuerit Electio per commune votum totius Eccleſiæ Dei, dignoſcitur divina eſſe, quemadmodum per magnum Dionyſium prædocuit Spiritus Sanctns; convenit, ſi fieri poſſit, & per tempus licuerit, ut omnes Epiſcopi, qui in Eccleſia Dei reperiuntur in toto orbe, præſentes adſint in Synodo, ſeu Concilio: quod ſi vero multi legittimas ob cauſſas impediantur ab adventu in Synodum, horum conſenſus præcedat oportet, & mittatur cum his, qui ad Synodum veniunt. Et pa-

Et parato Præfecto Synodi cum 12. plus, vel minus Epiſcopis convenientibus, quique conſenſum reliquorum Religioſorum (*Epiſcoporum*) habeant, prmovent Patriacham ipſo Ordine Chirotoniæ, hoc eſt, iiſdem precibus, & miniſteriis, queis Patriarcha promovet Metropolitas, & Epiſcopi ordinent illum, quia una eſt virtus, &, unum eſt donum Pontificatus, gradus autem diſtinguuntur ordinibus ſuis. In Chirotonia ergo Patriarchæ tria ejuſdem propria ſunt. Primum, eo, quod ſorte, ſeu conſenſu omnium Epiſcoporum eligitur, & hoc demonſtrat eum eſſe Patrem communem totius Eccleſiæ, & Patrem Patrum. Secundum autem, Invocatio Spiritus Sancti, quæ adſcribitur Clementi, quam inferius deſcribemus, ſuper Patriarcham tantum dicitur ab Epiſcopis eum Conſeſecrantibus. Tertium, Haſta, hoc eſt Paſtorale pedum tenendum eſt ab omnibus Epiſcopis ab unoquoque juxta antiquitatem ſuam, & deinde aſſumitur dextera ejus, qui in Patriarcham eligitur, & ſuper ma-

[illegible]

manus omnium collocatur: hoc demonſtratur, quod ex voluntate, & conſenſu totius Eccleſiæ, in qua bene complacuit Spiritui Sancto, tradita illi ſit poteſtas unica ſuper omnes Ordines Eccleſiæ Sanctæ Dei, & ideo, quando ſcribet manu ſua, & publice recitabit Scripturam ſuam juxta legem, definitionem confeſſionis Orthodoxæ ſervare ſe debere declarat, æquitas enim ac recta ratio poſtulat, ut ſervet Canones Apoſtolicos, ſuſcipiat Patres probatos, quatuor Synodos, & reprobet, ac deteſtetur hæreticos nominatim, ac ſeipſum tradat labori, & ſollicitudini pro pace, & conſervatione totius Eccleſiæ Dei, & vocet, ac reducat ſchiſmaticos ad fidem, atque his ſimilia promittat; Non autem ſcribit, nec ullatenus debet dicere ſe ſubditum fore mandato alicujus ex eorum numero, qui ipſum conſecrant, quemadmodum illi ſunt ipſi ſubjecti, quoniam nullo omnino modo poſſunt eum judicare, niſi lapſus fuerit in confeſſione Orthodoxa. Quomodo

modo autem promoveatur ; & ordinetur Patriarcha edicimus. Poſt Tertiam ingrediuntur Epiſcopi omnes cum Præfecto Synodi ad Altare, & adducunt Electum, & imponunt capiti ejus Cucullum novum; & induunt eum Alba, & Orario inferiori, & manipulis, & imponunt ei Amictum, deinde Caſulam, Præfecto Synodi una cum omnibus Epiſcopus ſimul omnia tangente. Deinde Præſes Synodi & omnes inſimul Religioſiſſimi Metropolitani & Epiſcopi procidunt in terram coram vocato, & dicit Præſes - *Spiritus Sanctus vocat te, ut ſis Patriarcha, hoc eſt Pater Antiſtitum ſuper Civitatem magnam Antiochiæ, & ditionis totius throni Apoſtolici, ideſt Pater omnium noſtrum.* Vocatus tunc genuflectit coram illis, ac dicit. *Conſentio, & accepto*: Epiſcopi erigunt illum ac ſtatuunt in parte interiori in ipſo Altaris ambitu & Præſes Synodi, vel unus e Senioribus celebrat ſacrum, & poſt oblationem adducunt vocatum, & conſiſtit ante Altare Amictu indutus, & incipit unus e

ܡܫܠܐ ܨܠܘܬܐ ܐܝܟ ܕܡܫܡܫܢܘܬܐ
ܟܘ ܡܢ ܟܠ. ܘܡܥܒܕܐ ܟܠܚܕܐ
ܟܠܚܕܐ ܡܢܗ ܡܢܗ ܡܫܡܫ
ܒܠܠ ܣܒ ܐܡܕܝܢܐ ܕܡܫܡܫܢ.
ܐܡܕܝܢܐ ܕܟܠܗܘܢ ܢܗܘܘܢ
ܡܫܬܘܬܦܝܢ ܒܗ
ܒܬܫܡܫܬܐ . ܚܕ ܐܡܪ
ܨܠܘܬܐ . ܐܚܪܢܐ ܚܘܣܝܐ . ܐܚܪܢܐ
ܩܪܝܢܐ . ܘܒܬܪ ܟܠܗ ܬܫܡܫܬܐ .
ܟܠܗܘܢ ܣܝܡܝܢ ܐܝܕܝܗܘܢ ܥܠ
ܪܫܗ ܕܗܘ ܕܡܬܟܬܪܣ
ܒܙܒܢܐ ܕܣܝܡ ܐܝܕܐ : ܘܟܠܗܘܢ
ܐܡܪܝܢ ܨܠܘܬܐ ܕܩܪܝܬܐ
ܕܪܘܚܐ . ܘܒܙܒܢܐ ܕܝܗܒܝܢ
ܠܗ ܡܘܪܢܝܬܐ .
ܟܠܗܘܢ ܗܘܘ ܠܒܝܟܝܢ ܠܗ
ܟܠܚܕ ܒܩܫܝܫܘܬܗ . ܘܡܚܕܐ
ܐܚܕܝܢ ܠܗ ܠܝܡܝܢܗ ܕܗܘ
ܕܡܬܟܬܪܣ ܒܙܒܢܐ ܕܣܝܡ
ܐܝܕܐ ܘܡܪܝܡܝܢ ܠܗ ܠܥܠ
ܡܢ ܐܝܕܝ̈ܐ ܕܟܠܗܘܢ ܐܝܟܢ
ܪܫܗ ܕܡܘܪܢܝܬܐ ܘܗܟܢܐ
ܡܫܬܡܠܐ ܐܒ ܐܒܗ̈ܬܐ .

ܨܠܘܬܐ

Senioribus, ac dicit Orationem principii, cumque hymni Cyclici recitantur, unuſquiſque Epiſcoporum orationem dicit, quæ ipſi a communitate Patrum deſignatur; & ita ordinatim quiſque recitat, ac miniſtrat prout ei præſcribitur, ut omnes participes fiant ipſius miniſterii. Alter dicit orationem, alter precem remiſſionis (ſeu Procemium) alter lectionem; & poſt totum officium omnes imponunt manus ſuas ſuper caput illius, qui ordinatur, tempore impoſitionis manus, & omnes dicunt orationem invocationis ſpiritus; & eo tempore quo tradunt ei baculum, omnes illum tenent unuſquiſque ſecundum antiquitatem ſuam, & ſtatim apprehendunt dexteram promovendi tempore impoſitionis manus, eamque elevant ſuper manus omnium, itaut ipſe verticem baculi teneat, & ita conſummatur, ac perficitur Pater Patrum (1),

Ora-

(1) Arabica adiicitur expoſitio, in qua explicantur ea, quæ Syriace & Latine retulimus, pro iis, qui Syriacæ linguæ ignorantia laborant.

Oratio principii, quæ recitatur ſuper Patriarcham.

Gloria Patri. Præſta nobis Domine Deus, ut pure, & ſancte ſtemus coram Altari tuo ſancto, tuam miſericordiam exorantes, ut ſis nobiſcum, & inter nos, nobiſque largiaris effuſam tui divini doni opem in hoc etiam inſtanti, itaut ſecundum voluntatem tuam perficiamus miniſterium perfectionis hujus Principis Sacerdotum, & attollamus.

Kyclion ※ *tertio. Dicunt Pſalm. hunc.* Domine in virtute tua lætabitur Rex. All. & in ſalutari tuo exultabit valdè.

Et Reſpondent. Deſiderium cordis ejus tribuiſti ei All. & præparatione labiorum ejus, non prohibuiſti eum.

Et mutant illi, qui incæperunt. Quia præveniſti eum in benedictione bona All. & All. & poſuiſti in capite ejus coronam glorioſam.

Et dicunt hanc ſtropham (*ſtanza*) Tu Deus Verbum, qui apparuiſti cum Patre ſuper illum Montem Synai & in myſterio Moyſi Levitæ dediſti legem Cultus miniſterii, tem poris

ܨܠܘܬܐ ܕܫܘܪܝܐ ܕܡܬܐܡܪܐ ܥܠ ܦܛܪܝܪܟܐ.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

poris : Tu in Cœnaculo Apoſtolis tuis ſanctum dediſti ſpiritum , & perfeciſti atque conſummaſti eos , ut mirabiliter prædicarent , & feciſti eos magis clamare , & dicere : Sacerdotes omnes benedicite , laudate , confitemini Summo Pontifici veritatis Chriſto in ſæcula .

Reſpondent . Vitam petiit a Te , & dediſti ei All. & All. longitudinem dierum in ſæculum ſæculi .

Et ſi libuerit canant dicentes . A te fluit ſanctitas , ſanctus es , & Pontificatus per Te traditus eſt . Tu es Acceptator victimarum de manibus Sacerdotum ſervorum tuorum , & condonator delictorum ad Te revertentium . Tu per miſerationes tuas concedis , & peccatum totius mundi per occiſionem tuam deletum eſt , o Agne Dei . Sacerdotes omnes benedicite , & laudate , & confitemini Summo Pontifici veritatis Chriſto in ſeculum .

Magnus factus eſt in ſalutari tuo , gloriam , & decorem poſuiſti ſuper eum ,

Item dicunt Antiphonam Stichon . Salomon in proverbiis lo-

loquens, quis nam eſt dixit, dilectus tuus, pulchra, quo valde gloriaris. Dilectus meus electus ex multis millibus, cujus vinea Iſrael eſt, albus præ vite Jacob, & rubeus præ unguento Nardi, ſubtilis præ Cedris Libani, ſimilitudo eſt Dei, quem laudamus, quoniam laudabilis eſt.

In eodem. Quia feciſti eum in benedictionem in ſeculum ſæculi, & lætificaſti eum lætitia vultus tui.

Stropha. Myſteriorum hoc Samuel myſtice deſignavit, dum acceſſit & de cornu unctionis filium Iſai unxit; cum autem vidit Davidem in ſimilitudine illius qui venit, ut incarnaretur, dixit, quod unxiſſet eum in ſimilitudine Domini, qui ſolus eſt ſanctus, & hominum amator.

Gloria Patri, & Filio. Stichon. Adjuravi vos, filiæ Hieruſalem per Cervos Prophetas cives veſtros, & per Capreas errantes in campis, Apoſtolos, qui Evangelium prædicaverunt, ne excitetis, neque evigilare faciatis vocibus veſtris, objectum amoris mei, ſinite dilectum meum dormire uſque

uſque dum velit; myhrra & aloe me unxit: tranſiit hyems, et imber abiit, et advenit æſtas Reſurrectionis. Gloria tibi, Deus hominum amator, a creaturis tuis.

Vnus Epiſcoporum orat dicens. Renova in nobis quotidie depoſita tua divina, et ſplendores donorum tuorum ſpiritualium, Spiritus Sancte, et omnia ſanctificans; et per Te, ac a Te illuminemur, et decoremur donis tuis cœleſtibus et Sanctis. Nunc.

Kyclion tono quarto. Canon.

Eructvit cor meum eloquia bona: *All.* et *All.*, et dicam opera mea Regi.

Reſpondent. Lingua mea calamus ſcribæ ſapientis, *All.* et *All.* cujus aſpectus pulcher eſt præ filiis hominum.

Variant illi, qui cœperunt. Diffuſæ ſunt gratiæ ſuper labia tua, idcirco benedixit Te Deus in æternum *All.* et *All.*

Stropha. Cum ſe inſinuaſſet, et opertus fuiſſet nube ille impeditioris linguæ, velociter pronunciavit legem a Deo ſcriptam, cum excuſſit illuſionem corporis etiam a mente ſua,

ſua tum incrementa ſumſit, et myſteria edoctus fuit per Sancti Spiritus ſcientiam, et ordinavit divino modo laudes.

Reſpondent. Accingere gladio ſuper femur tuum, Potentiſſime, decor tuus, et gloria tua magna eſt: All. et Alleluja.

Stropha. Dixit illud os terribile, ſanctum, et glorioſum; Non ſit in vobis, qui ſeparet, & prohibeat amicos, et ſocios meos; quia ecce ego ſum ſuper thronum glorioſum, in quo cum Patre ſedeo, et effundo ipſum donum Spiritus Sancti ſuper illos, qui deſiderant eo illuminari.

Gloria Patri, & Filio.

Super Montem cum aſcendit Verbum veritatis, aſpectu ſuo glorioſo implevit corda eorum; cum perfeciſſet opere ſermones ſuos, lætificavit dilectos ſuos flatibus validis, quoniam in forma Linguarum ignis diſtribuit Spiritum ſanctum Chriſtus, ſicuti pollicitus fuerat.

Oratio. Deus, qui perfeciſti Apoſtolos tuos ſpiritu tuo, nos etiam inſtrue charitate tua, et infirmitatem noſtram veritate tua præcinge; et imple

[illegible]

mentes noſtras, et conſcientias lumine ſancto tuo cœleſti; Pater, et Fili.

Pſalmus tono ſeptimo. Deus judicium tuum Regi da. All. All. All. All. All.

Reſpondent. Ut judicet populum tuum in juſtitia. All. All. All. All. All.

Stropha. Chriſte præcepiſti Diſcipulis tuis dicens; donec induamini virtute ab alto, vos permanete in Urbe Hieruſalem: Ego enim alium paraclitum ſimilem mihi, Spiritum meum Sanctum, et Patris mittam ad vos, quo confirmabimini, et confortabimini. Spiritus, quujus virtute conceptus eſt univerſorum Dominus, in ventre mundo Prophetarum, et apparuit etiam ſuper terram. Spiritus ille ſalutis, qui a Patre procedit, et per Filium ſuper nos fideles deſcendit, et requievit; et eſt dator vitæ ac ſanctitatis omnibus illis, qui in vera fide digni fuerunt illum ſuſcipiendi. Gratia illa, qua repletus fuit Iſaias Propheta a Deo pacis, eadem nobis etiam conceſſa eſt. Te Chriſtum Deum novimus: Tu enim ſolus terram, et inimicitiam mor.

mortalem , quæ cum Patre erat, mutaſti ſanguine tuo precioſo, quem effudiſti pro ſalute noſtra.

Epiſcopus orat. Gratia perfecta Spiritus Sancti implevisti corda Sanctorum Apoſtolorum Chriſte Deus, et promiſſionem illis factam adimplevisti per illapſum ſancti ſpiritus; præſta nobis, ut ejus Divinis Chariſmatis, ac virtute ipſius illuminatrice, et ſalutari repleamur. Nunc.

Pſalmus tono octavo. Memento, Domine, David, et omnis humilitatis ejus. All. All. All. All. Alleluja.

Stropha. Aperi os meum in proverbiis tuis ſapientia plenis: explana, et doce, ut mediteturiudicia tua. Tu Domine, qui aperuiſti cœlum, debilem linguam meam dulcedine imbuito verbo tuo vivifico, et meditari me fac precioſos concentus legis tuæ ſanctæ. Tu enim, et non eſt alius ſanctus extra Te, omnium Domine. Benedicite pueri mundi æquales numero Trinitati creatrici ſæculorum, Deum Patrem; Confitemini verbo, quod deſcendens venit pro ſalute no-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

noſtra, et commutavit flammam cum ſpiritu roris refrigerantis. Populi omnes benedicite, et confitemini nomini Datoris vitæ omni ſpiritui, Spiritui omnia ſanctificanti ſemper, et in ſæcula ſæculorum

Gloria Patri. Qui eſt abſconditus, et ſuper omnia elevatus; Cui miniſtrant ſine intermiſſione Angelorum miniſteria; laudate eum Pueri in religione præclara, Sacerdotes eum benedicite omni momento, Populi confitemini illi, et benedicite nomini ejus in ſæculum ſæculorum.

Vnus Epiſcopus ponit ſuavitates, & thuribulo incenſat Altare, ac totam Eccleſiam, duo autem Sacerdotes, ac duo Diaconi cum luminaribus, & Flabellis ipſum circumſtant ad honorem: Et alius Epiſcopus dicit Procemium.

Laus incomparabilis, et non intermiſſa Eſſentiæ prę omnibus Eſſentiis excelſæ, et omnem Eſſentiam Creatrici: Confeſſio non interrupta Bonitati excedenti omnem bonitatem, et donatrici donorum perfectorum: Adoratio mentalis Divinitati Trinæ in Perſonis ſanctis,

ctis, et Dominæ Sanctitatum, cujus ſplendoribus illuminantur omnes virtutes Angelicæ, et purificationibus ab ipſa ordinantur in ſuo Pontificatu intellectuali. Quæ, et ipſa eſt illa, quæ perficit Pontifices, et exornat Sacerdotes; donat formas, et obſignat Sacramenta Divina: quæ ſuſcipit ſacrificia, et largitur dona ſpiritualia: quæ ſublimiter in Eccleſiis ſupernis fideliter et mentaliter glorificatur, et in Eccleſia, quæ eſt hic, myſtice celebratur, et èxaltatur ab Epiſcopis, Sacerdotibus et miniſtris ſuis, quæ in Patre ingenito, et Filio genito, ac Spiritu procedente cognoſcitur, et adoratur ab omnibus virtutibus intellectualibus, et ſenſibilibus. Cui convenit.

Ordo. Deus, qui ſupra omnem comparationem et formam exſiſtis, et abſconditus es ab omni mente creata; Pater æternus Verbi Dei geniti, et æterni, ac fons eſſentialis Spiritus procedentis, et eſſentialis, qui largitor es omnium principalium Chariſmatum, et donorum bonorum. Tu es, qui bonitate eſſentiali, et incompara-

[illegible]

ܓܒ̈ܝܬܐ. ܐܝܟ ܗܘ ܗ̄ܘ̇ ܕܒܓܒܝܘܬܐ
ܐܘܣ̈ܝܣܬܐ ܘܠܐ ܡܬܦܫܡܣܢܝܬܐ
ܠܚ̈ܝܠܘܬܐ ܡܬܝܕ̈ܥܢܝܬܐ ܘܟܝ̈ܢܐ
ܩܕ̈ܡܝܐ ܠܡܗܘܐ ܐܝܬܐ ܡܢ
ܠܐ ܐܝܬܘܬܐ ܐܝܬܝܬ ܘܫܪܪܬ ܘܥܡ
ܫܘܦܪܐ ܡܛܟܣܘܬܐ ܦܐܝܐ
ܠܗܘܢ̈ܐ ܡܬܝܕ̈ܥܢܐ ܡܫ̈ܡܫܢܐ
ܠܐ ܓܫܡ̈ܢܝܐ ܝܗܒܬ. ܐܦ ܥܬܪܬ ܐܢܝܢ
ܘܡܕܟܝܢܘܬܐ ܐܢܝܢ ܘܡܢܗܪܢܘܬܐ ܐܢܝܢ
ܡܫܡܠܝܢ ܒܡܘ̈ܗܒܬܟ ܐܠܗ̈ܝܬܐ
ܐܝܟ ܕܒܛܟܣܐ ܕܪܝܫ ܟܘܡܪܘܬܐ. ܢܬܕܟܘܢ
ܘܢܕܟܘܢ ܢܬܢܗܪܘܢ ܘܢܢܗܪܘܢ
ܢܬܓܡܪܘܢ ܘܢܓܡܪܘܢ ܘܠܡܪܘܡܐ
ܗܘ ܕܡܩܪܒ ܠܓܡܝܪܘܬܐ ܕܢܘܗܪܐ
ܕܛܝܒܘܬܟ. ܢܬܥܠܘܢ ܘܚܢܢ
ܕܥܦܪܢܐ ܘܥܡ ܥܦܪܐ ܐܣܝܪܝܢ
ܡܬܬܢܚܝܢܢ ܒܗܕܐ ܫܥܬܐ ܩܕܝܫܬܐ
ܕܫܘܡܠܝܐ ܕܗܢܐ ܬܫܡܫܬܐ ܟܘܡܪܝܬܐ
ܩܕܝܫܬܐ. ܕܒܗ̇ ܒܛܝܒܘܬܐ
ܗܝ ܕܫܦܝܥܐ ܒܟܠ ܘܡܥܬܪܐ
ܠܟܠ ܬܬܦܢܐ ܒܒܣܝܡܘܬܐ
ܘܚܢܢ ܠܘܬ ܒܥܘܬܐ ܕܥܒܕ̈ܝܟ ܟܪ̈ܝܗܐ
ܕܗܝܡܢܬ ܐܢܘܢ ܥܠ ܡܕܒܪܢܘܬܐ ܪܥܝܢܝܬܐ
ܘܝܗܒܬ ܠܗܘܢ ܬܫܡܫܬܐ ܩܕܝܫܬܐ
ܕܡܘܗܒܬܐ ܓܡܝܪܬܐ ܘܪ̈ܘܫܡܐ
ܓܡܝ̈ܪܐ ܕܪܘܚܟ ܗܘ ܛܒܐ
ܘܡܦܠܓܢܐ ܕܣܝ̈ܡܬܐ ܐܠܗ̈ܝܬܐ
ܠܥܒܕ̈ܝܟ ܬܬܠ ܗܢܘܢ ܕܗܫܐ
ܩܕܡܝܟ

parabili virtutes intellectuales, et naturas primas ad eſſe ex non eſſe adduxiſti, et confirmaſti, et cum pulchritudinem ordinis convenientis mentibus intellectualibus adminiſtratoriis incorporalibus tribuiſſes, etiam locupletaſti eas purificando, illuminando, et perficiendo donis tuis divinis, ut juxta ordinem ſummi Sacerdotii emundarentur, et emundarent; illuminarentur, et illuminarent; perficerentur, et perficerent, et ad elevationem, quæ ducit ad perfectionem luminis gratiæ tuæ, ſublimarentur. Et nos terreni, ac humo devincti ſuſpiramus in hac hora Sanctiſſima conſummationis hujus Sacerdotalis Miniſterii Sancti, ut eadem bonitate ubique effuſa, et omnia locupletante, convertaris benigne, et clementer ad deprecationes noſtrum ſervorum tuorum infirmorum, quibus credidiſti aſſiſtentiam paſtoralem, et dediſti miniſterium ſanctum doni perfecti, et Chriſmata perfecta ſpiritus tui illius boni, et diſtributoris divinorum theſaurorum ſervis tuis largiaris, qui modo coram Te incli.

inclinati ad Te habitatorem cœli oculo mentium ſuarum ſuſpiciunt ; et dum debìta erroreſque eorum transfers veluti nubes , et veniam ac emundationem tribuis eis , qui per noſtram tenuem mediationem acceſſerunt ad Te , reple eos clementia gratiæ tuæ , et ſplendoribus tuis illuſtra mentes eorum . Complaceat Tibi itaque , o Domine, in acceſſu illorum ad Te, ac ſuſcipe eos , ut miniſterium exhibeant domui tuæ ſanctæ , ac puræ ; Et quemadmodum benignus acceptaſti miniſteria ſanctorum tuorum , quos a ſæculo ſegregaſti , et præpoſuiſti officio ac miniſterio ſanctorum tuorum Sacramentorum ineffabilium , quales fuerunt Moyſes , et Aaron , illi glorioſi inter pontifices , et Samuel ille electus , et celeberrimus , et Eſaias ille ſpectator gloriæ tuæ , et Jeſus ille magnus , et Joſedech , et in fine Beati Apoſtoli illi ſpectatores , et Miniſtri Evangelii Unigeniti tui Verbi Dei : qui noviſ-

[illegible]

[illegible]

noviſſime Spiritu tuo Sancto mundati miniſterium Evangelicum, ac plenum gratia ſpirituali ſuſceperunt; ſimili etiam modo hos ſervos tuos ſuſcipe, in eis tibi complaceat, et perfice eos dono tuo Sanctiſſimo, juxta virtutem vocationis eorum ad miniſterium, et converſationem coram magnitudine tua, ut dum per hos gradus divinos a virtute in virtutem elevantur, et myſteriis eruditi, et eorumdem magiſtri inerrantes effecti beati ſint, et ita creſcente Eccleſia tua, et bono illius ordine Divinis donis adaucto, omnes ordines et ſtatus eorum, qui miniſtrant, offerant tibi laudem perpetuam verbo et opere, et tecum ipſi Unigenito Filio tuo Domino noſtro Jeſu Chriſto, ac Spiritui Sancto et vivo. Nunc.

Et dicunt tono. Ego Ego.

Cum ſuſcepiſſent Apoſtoli donum Spiritus Sancti Paracliti, egreſſi docuerunt & prædicaverunt in orbe creato fidem veritatis, et ordinarunt gradus Sacerdotii, et in eo conſtituerunt Paſtores, qui O-

ves

ves Chriſti in æquitate, et juſtitia paſcerent uſque ad finem, et conſummationem. Benedictus ſit, qui magnificavit gradus ſacerdotii in terra, et ſurſum in cœlo: eique dedit poteſtatem magnam in altitudine, ac profunditate, et omnibus quæ in eis ſunt; et eccè in medio Eccleſiæ propagatur, et celebratur per Summum Sacerdotium in gradibus altis et inferioribus Miniſtrorum, Sacerdotum, Pontificum, ac Paſtorum.

Acceptatio. Chriſte virtus, et ſapientia Patris, qui obtuſti teipſum pro nobis in odorem ſuavitatis, et victimam acceptabilem, et unxiſti, ac repleſti ſuavitate odoris tui ſpiritualis animas juvenculas (1) amantes tui, ſuſcipe cum ſuavitatibus iſtis laudes, et confeſſiones noſtras, et gratiam tuam copioſam huic ſervo tuo coram te proſtrato largire, ut caliginem ſcientia carentem ab ovibus tuis pellat, et ſuper candelabrum Evangelicum in præclara Cathedra Apoſtolica ſplen-

ܘܢܪܥܘܢ ܠܥ̈ܢܗ ܕܡܫܝܚܐ
ܒܟܐܢܘܬܐ ܘܙܕܝܩܘܬܐ ܠܡܫܘܠܡܐ
ܠܫܘܠܡܐ ܘܫܘܡܠܝܐ. ܒܪܝܟ
ܕܐܘܪܒ ܕܪ̈ܓܐ ܕܟܘܡܪܘܬܐ ܒܐܪܥܐ
ܘܠܥܠ ܒܫܡܝܐ: ܘܝܗܒ ܗܘܐ
ܠܗ ܫܘܠܛܢܐ ܪܒܐ ܒܪܘܡܐ
ܘܒܥܘܡܩܐ ܘܒܟܠ ܕܒܗܘܢ. ܘܗܐ ܒܓܘ
ܥܕܬܐ ܡܬܦܫܛܐ ܘܡܫܬܒܚܐ
ܒܝܕ ܟܘܡܪܘܬܐ ܪܒܬܐ ܒܕܪ̈ܓܐ ܪ̈ܡܐ
ܘܬܚ̈ܬܝܐ ܕܡܫܡ̈ܫܢܐ ܘܕܟܘ̈ܡܪܐ
ܘܕܐܦܣ̈ܩܘܦܐ ܘܪ̈ܥܘܬܐ.

ܩܘܒܠܐ. ܡܫܝܚܐ ܚܝܠܐ
ܘܚܟܡܬܐ ܕܐܒܐ ܕܩܪܒ ܗܘ ܠܗ
ܢܦܫܗ ܚܠܦܝܢ ܪܝܚܐ ܒܣܝܡܐ ܘܕܒܚܬܐ
ܡܩܒܠܬܐ: ܘܡܫܚ ܘܡܠܝܬ
ܡܢ ܒܣܝܡܘܬܐ ܪܝܚܐ ܪܘܚܢܝܬܐ
ܕܝܠܟ ܠܢܦ̈ܫܬܐ ܥܠܝ̈ܡܬܐ
ܪ̈ܚܡܬܐ ܕܝܠܟ. ܩܒܠ
ܥܡ ܒܣ̈ܝܡܘܬܐ ܗܠܝܢ:
ܬܫ̈ܒܚܬܢ ܘܬܘ̈ܕܝܬܐ ܕܝܠܢ
ܗܒ ܒܫܦܝܥܘܬܐ ܛܝܒܘܬܐ ܕܝܠܟ
ܠܥܒܕܐ ܕܝܠܟ ܗܢܐ.
ܕܩܕܡܝܟ ܦܫܝܛ
ܕܠܚܫܘܟܐ ܕܠܐ ܝܕܥܬܐ
ܡܢ ܥܢ̈ܝܟ ܢܪܕܘܦ ܘܥܠ
ܡܢܪܬܐ ܐܘܢܓܠܝܬܐ ܒܟܘܪܣܝܐ
ܡܫܒܚܐ ܫܠܝܚܝܐ
ܢܢܗܪ:

(1) Scilicet Juvenum, qui inſtituuntur.

[illegible]

ܦܛܪܝܪܟܐ.

ܫܠܡܐ ܠܟܠܟܘܢ.

ܥܡܐ.

ܘܥܡܟ.

ܩܠܝܪܘܣ ܐܡܪܝܢ ܥܘܢܝܬܐ.

[illegible]

ſplendeat, ac lætus tibi tradat talentum cum duplicatione fructuum. Domine Deus noſter tibi gloria in ſæcula.

Patriarcha.

Pax vobiſcum.

Populus.

Et cum.

Clerici dicunt Hymnum.

Quia Dominus eſt ſpes noſtra, et Sanctus Iſrael Rex noſter, tunc locutus eſt in viſionibus cum ſanctis ſuis, et dixit: poſui auxilium viro, et exaltavi Electum de populo. Ideo unxit Te Deus Deus tuus oleo lætitiæ, et jucunditatis præ conſortibus tuis.

Pſalmus Exalta me.

Surge illuminare, quia venit lumen tuum, Eccleſia ſancta fidelis: clamavit Iſaias filius Amos ſponſæ, quam deſponſavit filius Regis. Exornentur filii tui in medio tui, ſicut Aaron, et Eleazar; Sacerdotes autem, et Pontifices, ſicut Melchiſedec Pontifex glorioſus. Armentur, et inſtruantur in Te Antiſtites tui, ſicut Petrus, et Johannes; et laudent Dominum Dominum tuum, ſicut Thomas, et Philippus.

[illegible] Et

Et unus ex Epiſcopis legit Acta (1).

Ex Actibus Apoſtolorum Sanctorum. Chariſſimi, poſtquam præcepit Apoſtolis, quos elegit in Spiritu Sancto, iis, quibus ſeipſum manifeſtavit dum viveret, poſtquam paſſus eſt in ſignis multis per dies quadraginta apparens eis, et loquens de Regno Deo, et cum manducaret panem cum eis, præcepit eis, ut de Jeruſalem non diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Patris, quam audiſtis a me, quia Johannes baptizavit in aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non poſt dies multos. Illi igitur cum congregati eſſent, interrogaverunt eum, dicentes ei. Domine noſter, num hoc tempore reſtitues regnum Iſraeli? Dixit eis ipſe. Non eſt veſtrum hoc, noſſe tempus, aut tempora ea, quæ Pater poſuit in poteſtate ſua; ſed cum venerit Spiritus Sanctus ſuper vos, accipietis virtutem, et eritis mihi teſtes in

ܘܚܕ ܡܢ ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܩܪܐ
ܦܪܟܣܝܣ.

ܡܢ ܦܪܟܣܝܣ ܕܫܠܝ̈ܚܐ
ܩܕ̈ܝܫܐ.

ܚ̈ܒܝܒܝ: ܡܢ ܒܬܪ ܕܦܩܕ
ܐܝܟ ܠܫܠܝ̈ܚܐ ܐܝܠܝܢ ܕܓܒܐ
ܒܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ ܗܢܘܢ ܕܐܦ ܚܘܝ
ܠܗܘܢ ܢܦܫܗ ܟܕ ܚܝ: ܡܢ ܒܬܪ
ܕܚܫ ܒܐܬ̈ܘܬܐ ܣܓܝ̈ܐܬܐ
ܟܕ ܐܪ̈ܒܥܝܢ ܝܘܡܝܢ ܟܕ ܡܬܚܙܐ
ܗܘܐ ܠܗܘܢ: ܘܐܡܪ ܥܠ ܡܠܟܘܬܐ
ܕܐܠܗܐ: ܘܟܕ ܐܟܠ ܠܚܡܐ
ܥܡܗܘܢ ܦܩܕ ܐܢܘܢ ܕܡܢ ܐܘܪܫܠܡ ܠܐ
ܢܦܪܩܘܢ ܐܠܐ ܕܢܩܘܘܢ ܠܫܘܘܕܝܗ
ܕܐܒܐ: ܗܘ ܕܫܡܥܬܘܢ ܡܢܝ
ܕܝܘܚܢܢ ܐܥܡܕ ܒܡ̈ܝܐ ܘܐܢ̈ܬܘܢ
ܬܥܡܕܘܢ ܒܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ: ܠܐ
ܒܬܪ ܝܘܡ̈ܬܐ ܣܓܝ̈ܐܐ: ܗܢܘܢ
ܕܝܢ ܟܕ ܟܢܝܫܝܢ ܫܐܠܝܢ ܗܘܘ
ܘܐܡܪܝܢ ܠܗ: ܡܪܢ: ܠܝ ܒܙܒܢܐ
ܗܢܐ ܡܦܢܐ ܐܢܬ ܡܠܟܘܬܐ
ܠܐܝܣܪܝܠ: ܐܡܪ ܠܗܘܢ ܗܘ: ܠܐ
ܗܘܐ ܕܝܠܟܘܢ ܗܢܐ ܠܡܕܥ ܙܒܢܐ
ܐܘ ܙܒ̈ܢܐ ܐܠܝܢ ܕܐܒܐ ܣܡ ܐܢܘܢ
ܒܫܘܠܛܢܐ ܕܝܠܗ: ܐܠܐ ܡܐ ܕܐܬܐ
ܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ ܥܠܝܟܘܢ ܬܣܒܘܢ
ܚܝܠܐ

(1) Expoſitio Arabica adiecta ſonat, quod in Ordinatione Patriarchæ omnes Epiſcopi concurrere debeant ad illam, & unuſquiſque eorum legat partem ex Actibus Apoſtolorum, & Epiſtolis Pauli, ut diſponitur.

[Syriac text]

ܒ. [Syriac text]

ܓ. [Syriac text]

ܕ. [Syriac text]

in Jeruſalem, et omni Judæa, atque etiam Samaria, et uſque ad fines terræ.

2. Et cum orarent, dixerunt: Tu Domine, qui noſti quod eſt in cordibus omnium, oſtende unum illum, quem ex his duobus eligis, ut ipſe accipiat ſortem miniſterii Apoſtolatus, a quo diſceſſit Judas, ut abiret in locum ſuum. Et jecerunt ſortes, et aſcendit ſuper Mathiam, et adnumeratus eſt cum XI. Apoſtolis.

3. Et cum congregati eſſent omnes ſimul, factus eſt repente ſonus de Cœlo velut ſpiritus vehementis, et repleta eſt eo omnis domus, in qua ſedebant, et apparuerunt eis linguæ, quæ diſpertiebantur velut ignis, et ſederunt ſuper ſingulos eorum, et repleti ſunt omnes ſpiritu ſanctitatis, et cæperunt loqui variis linguis, prout ſpiritus dabat eloqui illis.

4. Poſtea ſurrexit Simeon Cephas cum XI. Apoſtolis, et elevans vocem ſuam dixit eis. Viri filii Iſrael audite hæc verba:

[Syriac text]

ba: Jeſus Nazarenus homo, qui a Deo erat, et viſus eſt apud vos in virtutibus, et ſignis et præclare factis, quæ Deus fecit in medio veſtri per manum ejus, ſicuti vos noſtis. Hunc ad hoc ſegregaverat Deus in præſcientia, et voluntate ſua, et accepit a Patre promiſſionem de Spiritu Sancto, et effudit hoc donum, quod videtis.

5. Vobis enim facta eſt promiſſio, et filiis veſtris, et omnibus longinquis, quos ipſe Deus vocabit.

14. Et vocaverunt XII. Apoſtoli univerſum Populum, et Turbam Diſcipulorum, et dixerunt eis; non eſt bonum nos relinquere Verbum Dei, *&c. uſq;* et creſcebat numerus Diſcipulorum in Hieruſalem valde.

23. Et cum audiſſent Apoſtoli qui erant in Hieruſalem, quod accepiſſent Samaritani Verbum Dei: *&c. uſque*: quia cor tùum rectum non erat coram Deo.

36. Barnabas autem, et Saul reverſi ſunt ex Hieruſalem, Antiochiam, poſtquam conſummaverunt ſuum miniſterium

ܘܟܕ ܥܠܘ ܠܣܠܡܝܢܐ ܡܕܝܢܬܐ
ܡܟܪܙܝܢ ܗܘܘ ܡܠܬܗ ܕܡܪܢ.
ܡܢ ܐܓܪܬܐ ܒ ܡܢܝܢܐ ܕܦܛܪܘܣ
ܢܕ. ܚܒܝܒܝ ܡܛܠ ܗܢܐ
ܐܣܘܪܘ ܚܨܝ̈ܐ ܕܪ̈ܥܝܢܝܟܘܢ
ܘܐܬܬܥܝܪܘ ܒܡܫܡܠܝܐܝܬ: ܥܕܡܐ ܠܗܝ:
ܡܐ ܕܐܬܓܠܝ ܪܒܐ ܕܪ̈ܥܘܬܐ ܬܣܒܘܢ
ܡܢܗ ܟܠܝܠܐ ܕܫܘܒܚܐ ܕܠܐ ܚܡܐ.
ܘܐܦܝܣܩܘܦܐ ܐܚܪܢܐ ܩܪܐ
ܫܠܝܚܐ ܕܟܠܗ ܠܛܝܡܬܐܘܣ
ܩܕܡܝܬܐ ܩܠܚ :
ܐܚܝ : ܗܢܐ ܦܘܩܕܢܐ ܡܓܥܠ
ܐܢܐ ܠܟ ܐܝܟ ܢܒܝ̈ܘܬܐ ܩܕܡܝܬܐ
ܕܗ̈ܘܝ ܥܠܝܟ. ܕܒܗܝܢ ܬܦܠܘܚ
ܒܗܘܢ ܦܠܚܘܬܐ ܗܕܐ ܫܦܝܪܬܐ
ܒܗܝܡܢܘܬܐ ܘܒܬܐܪܬܐ ܛܒܬܐ .
ܩܡ . ܡܗܝܡܢܐ ܗܝ ܡܠܬܐ
ܕܐܢ ܐܢܫ ܪܓܐ ܩܫܝܫܘܬܐ ܥܒܕܐ
ܛܒܐ ܪܓܐ : ܥܕܡܐ ܠܗܝ : ܐܝܠܝܢ
ܓܝܪ ܕܫܡܫܘ ܕܪܓܐ ܛܒܐ ܩܢܝܢ
ܠܢܦܫܗܘܢ : ܘܣܓܝܐܐ ܦܪܗܣܝܐ
ܒܗܝܡܢܘܬܐ ܕܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ .
ܩܡܒ. ܡܗܝܡܢܐ ܗܝ ܡܠܬܐ
ܘܫܘܝܐ ܗܝ ܠܡܩܒܠܘܬܗ
ܡܛܠ ܗܢܐ ܗܠܝܢ ܦܩܘܕ ܘܐܠܦ
ܥܕܡܐ ܠܗܝ : ܠܓܠܝܢܐ
ܕܡܪܢ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ
ܗܘ ܕܥܬܝܕ ܒܙܒܢܗ
ܢܚܘܝܘܗܝ ܐܠܗܐ ܡܒܪܟܐ: ܗܘ ܕܠܗ
ܐܡܝܢ .

ſterium : *&c. uſque* . Et cum introiiſſent Salaminam Urbem annunciabant Verbum Domini noſtri .

Ex Epiſtola 2. Petri *num.* 54. Chariſſimi propterea præcingite lumbos mentium veſtram , et vigilate perfecte ; *&c. uſque* . Ut cum apparebit Princeps Paſtòrum , accipiatis ab eo coronam gloriæ immarceſcibilem .

Et Epiſcopus alter legit Apoſtolum in Epiſtola prima ad Timotheum num. 138.

Frater mì ; hoc præceptum commendo tibi,ſecundum Pròphetias antiquas , quæ factæ ſunt de Te , ut per eas miniſtrus miniſterium hoc bonum in fide, et conſcientia bona .

140. Fidelis eſt ſermo . Si quis deſiderat Presbyteratum , opera bona deſiderat , *&c. uſque* . qui enim miniſtraverint , gradum bonum ipſi ſibi acquirent, et fiduciam multam in Fide Jeſu Chriſti .

142. Fidelis eſt ſermo , & omni acceptione dignus , hæc doce, et pracipe *&c. uſque* . ad revelationem D. N. Jeſu Chriſti , quem manifeſtaturus eſt Deus benedictus.Cui gloria , et

et imperium in ſecula Amen.

Antiphona. Alleluja, et Alleluja, propterea unxit Te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ ſociis tuis: Alleluja.

Patriarcha legit Evangelium ſtans ſuper gradum, qui eſt ante menſam vitæ, & facie ad Occidentem converſa: Et accedit Ordinandus facie ad Orientem converſa capite inclinato, & ponitur Evangelium ſuper humeros & collum ipſius promovendi uſque ad finem Lectionis Evangelicæ (1).

Legit Evangelium Matth. 40.

In illo tempore, cum veniſſet Jeſus in regionem Cæſareæ Philippi, interrogabat Diſcipulos ſuos, *&c. uſque*. Tunc præcepit Diſcipulis, ut nemini dicerent, quod ipſe eſſet Chriſtus.

Poſt hæc ſedet Patriarcha ſuper thronum ſuum, & unuſquiſque Epiſcoporum ſecundum gradum ſuum: & tunc Epiſcopi præſentant Promovendum, qui conſiſtet ad latus Altaris Auſtrale, & jubente Patriarcha (1)

ܐܝܩܪܐ ܘܫܘܠܛܢܐ ܠܥܠܡ ܥܠܡܝܢ
ܐܡܝܢ :
ܩܠܐ : ܗ ܗ : ܡܛܠ ܗܢܐ
ܡܫܚܟ ܐܠܗܐ ܐܠܗܟ ܡܫܚܐ
ܕܚܕܘܬܐ ܛܒ ܡܢ ܚܒܪܝܟ : ܗ :
ܩܪܐ ܦܛܪܝܪܟܐ
ܐܘܢܓܠܝܘܢ ܟܕ ܩܐܡ ܥܠ ܕܪܓܐ
ܕܩܕܡ ܦܬܘܪܐ ܕܚܝܐ ܘܦܪܨܘܦܗ
ܠܡܥܪܒܐ ܘܩܪܒ ܗܘ ܕܡܬܬܣܝܡ
ܘܦܪܨܘܦܗ ܠܡܕܢܚܐ ܟܕ ܟܦܝܦ
ܪܫܗ ܘܡܬܬܣܝܡ ܐܘܢܓܠܝܘܢ
ܥܠ ܟܬܦܬܗ ܘܨܘܪܗ ܕܡܬܬܣܝܡ
ܥܕܡܐ ܠܫܘܠܡ ܩܪܝܢܐ ܕܐܘܢܓܠܝܘܢ .
ܩܪܝܢܐ ܐܘܢܓܠܝܘܢ . ܕܡܬܝ . ܡ .
ܒܗܘ ܕܝܢ ܙܒܢܐ ܟܕ ܐܬܐ ܝܫܘܥ
ܠܐܬܪܐ ܕܩܣܪܝܐ ܕܦܝܠܝܦܘܣ ܫܐܠ
ܗܘܐ ܠܬܠܡܝܕܘܗܝ ܘܐܡܪ . ܘܥܕܡܐ
ܠܗܝܕܝܢ . ܦܩܕ ܠܬܠܡܝܕܘܗܝ
ܕܠܐܢܫ ܠܐ ܢܐܡܪܘܢ ܕܗܘܝܘ
ܡܫܝܚܐ .
ܒܬܪ ܗܠܝܢ ܝܬܒ ܦܛܪܝܪܟܐ
ܥܠ ܬܪܘܢܘܣ ܘܐܦܝܣܩܘܦܐ ܟܠ
ܚܕ ܒܕܪܓܗ : ܘܗܝܕܝܢ ܐܦܝܣܩܘܦܐ
ܡܩܪܒܝܢ ܠܗ ܠܗܘ ܕܡܬܬܣܝܡ
ܘܩܐܡ ܠܓܒܐ ܬܝܡܢܝܐ ܕܡܕܒܚܐ
ܘܟܕ ܦܩܕ ܦܛܪܝܪܟܐ

(1) Arabica Expoſitio adiecta idipſum declarat.

ܦܛܪܝܪܟܐ ܕܩܪܐ ܠܟܪܛܝܣܐ ܕܗܘ
ܟܐܝܬܘܗܝ ܡܝܬܪ ܒܝܕܗ ܕܠܐ
ܢܥܒܘܪ ܠܒܪ ܡܢ ܩܢܘܢܐ
ܕܣܝܡܝܢ ܠܗ ܒܟܬܒܐ ܗܢܐ
ܘܐܫܠܡ ܡܓܠܬܐ ܠܦܛܪܝܪܟܐ
ܕܢܛܪܝܗ̇ .

ܐܢܐ ܡܚܝܠܐ ܦܠܢ ܒܪ ܦܠܢ
ܒܡܪܚܡܢܘܬܗ ܕܐܠܗܐ ܘܓܒܝܬܐ
ܕܣܘܢܗܕܘܣ ܩܕܝܫܬܐ ܗܕܐ
ܠܕܪܓܐ ܪܡܐ ܗܘܐ ܦܛܪܝܪܟܝܐ
ܡܢ ܟܕ ܠܐ ܫܘܐ ܐܢܐ
ܒܗܝܡܢܘܬܐ ܫܪܝܪܬܐ ܒܠܒܐ: ܘܒܦܘܡܐ ܡܘܕܐ ܐܢܐ
ܩܕܡ ܐܠܗܐ ܘܩܕܡ ܣܘܢܗܕܘܣ ܩܕܝܫܬܐ
ܗܕܐ ܕܐܠܗܐ ܡܪܝ ܗܘ ܒܪܘܝܐ ܕܟܠ
ܒܪܝܬܐ : ܚܕ ܐܝܬܘܗܝ ܒܐܘܣܝܐ
ܘܬܠܬܐ ܒܩܢܘܡܐ : ܘܕܐܒܐ
ܠܐ ܝܠܝܕܐ ܡܢ ܥܠܬܐ ܐܚܪܬܐ
ܡܢ ܥܠܡ ܝܠܕܗ ܠܒܪܐ ܗܘ
ܡܢܗ ܐܝܟ ܡܠܬܐ ܕܗܘܢܐ
ܐܝܠܝܕ ܘܠܐ ܡܘܠܕ : ܘܪܘܚܐ
ܕܩܘܕܫܐ ܠܐ ܡܘܠܕܐ ܘܠܐ
ܝܠܝܕܐ ܐܠܐ ܢܦܩܐ ܡܢ ܐܒܐ ܘܡܢ ܒܪܐ
ܐܝܟ ܨܒܝܢܐ : ܘܗܠܝܢ ܬܠܬܐ
ܐܢ ܐܠܗܐ ܚܕ ܐܝܬܝܗܘܢ ܒܟܝܢܐ

(1) *legit ſingrapham a ſe ſcriptam, quod non ſit tranſgreſſurus Canones præſcriptos: poſtea eandem ſingrapham, ſeu volumen Confeſſionis Fidei, Patriarchæ tradit, ut conſervetur* (2).

Ego humilis *talis* Filius *talis* Dei miſeratione, et electione hujus Sanctæ Synodi vocatus ad Sublimem Patriarchalem dignitatem impar licet meritis, firma Fide Credo Corde, et ore coram Deo, et coram Sancta hac Synodo, quod Deus Dominus meus Creator omnium Creaturarum ſit unus in eſſentia, et trinus in Perſonis. Quod Pater ingenitus, & expers alterius Cauſſæ ab Æternitate genuit Filium, qui genitus a Patre, inſtar Verbum mentis, genitor non eſt: et quod Spiritus Sanctus non eſt genitor, nec genitus, ſed procedens a Patre, et Filio inſtar voluntatis. Hi autem tres etſi deus unus ſint in natura, et

(1) vel librarii error eſt, qui loco *Patriarchæ* Scribere debebat, *Præſide Synodi*; vel eadem promotio aptanda eſt *Metropolitanis*, qui juſſu Patriarchæ hanc fidei profeſſionem emittere debent, quæ a Patriarcha aſſervanda eſt.

(2) Arabica expoſitio habet: Poſt Lectionem Sancti Evangelii, Patres in ſuis Sedent locis, & duo ex eis adducunt Electum ad Cornu Altaris Auſtrale, & hic legit formulam Fidei, quam ſequentibus verbis is propria ſcripſit manu.

et Subſtantia, operatione, et voluntate, eorum tamen unuſquiſque habet perſonalitatem propriam, per quam a cæteris diſcernitur, ut Pater alius ſit a Filio, et Filius alius ſit a Patre, et Spiritus Sanctus alius ſit a Patre, et Filio, et iidem tres unus Deus ſint, unus Rector, et unum noſtrae adorationis obiectum. Item Credo, quod Filius Dei Perſona ſecunda, ut genus humanum a diaboli ſervitute, et perditione mortis liberaret, Corpus noſtrum induerit, et Homo factus ſit ſimilis nobis in omnibus præter peccatum, et quod ipſe una ſit perſona, unus Dominus, et unus Chriſtus perfectus in duabus naturis, et voluntatibus, et operationibus Divina, et humana, ſine confuſione, aut mixtione.

Item Credo, quod Dominus Salvator per mortem ſuam in carne ſuper Crucis patibulum genus humanum Deo Patri reconciliaverit, abolita enim Idololatria, & legis ritu ſublato, tradidit nobis benignus legem Evangelicam, & Eccleſiæ Sacramenta ad ſalutem, & hære-

ܐܠܐܒܕܝ ܘܡܚܦܘܛܗ ܠܟܠ ܐܠܚܐܦܛܝܢ
ܘܐܝܛܐ ܒܟܠܡܐ ܦܝ ܡܚܦܘܛܗ
ܐܠܐܝܡܐܢ : ܘܐܩܪܐ ܐܠܟܬܒܗ
ܟܟܬܒ ܡܚܒ ܐܠܪܣܠ ܘܐܪܐܗ
ܐܠܡܓܐܡܥ ܐܠܐܪܒܥܗ ܟܠܗ ܡܢ
ܡܫܗܘܪܗ .
ܐܝܛܐ ܐܩܪ : ܘܐܥܬܪܦ ܐܝܛܐ
ܒܩܒܘܠܝ ܘܟܡܐܠܝ ܓܡܝܥ
ܐܠܩܘܐܢܝܢ ܐܠܪܣܘܠܝܗ ܘܟܕܐ
ܚܕܘܕ ܐܠܡܓܐܡܥ ܐܠܐܪܒܥܗ
ܐܠܬܝ ܐܓܬܡܥܘ ܦܝ ܢܝܩܝܐ :
ܘܩܣܛܢܛܝܢܝܗ : ܘܦܝ
ܐܦܣܣ ܘܟܠܩܕܘܢܝܗ ܘܒܐܩܝ ܐܠܡܓܐܡܥ
ܐܠܡܩܕܣܗ ܐܠܡܓܬܡܥܗ
ܐܠܬܝ ܒܐܠܪܘܚ ܐܠܩܕܣ ܐܠܡܓܬܡܥܗ
ܦܝ ܐܛܪܐܦ ܐܠܡܣܟܘܢܗ : ܘܟܠ
ܡܐ ܪܦܛܘܗ ܐܢܐ ܪܐܦܛܗ ܘܟܠ
ܡܐ ܩܒܠܘܗ ܐܢܐ ܩܐܒܠܗ :
ܐܝܛܐ ܐܩܒܠ ܘܐܟܪܡ ܐܠܐܒܐ
ܐܠܐܛܗܐܪ ܥܡܘܕ ܐܠܒܝܥܗ ܘܗܡ
ܣܝܠܒܣܛܪܘܣ : ܘܝܘܠܝܘܣ :
ܘܩܠܣܛܝܢܘܣ : ܘܠܐܘܢ : ܘܐܓܐܬܘܢ
ܪܘܣܐ ܟܪܣܝ ܪܘܡܝܗ ܐܓܢܐܛܝܘܣ :
ܘܐܘܣܛܐܬܝܘܣ ܘܦܠܐܒܝܐܢܘܣ :
ܘܝܘܚܢܐ ܡܐܪܘܢ ܪܘܣܐ ܟܪܣܝ
ܐܢܛܐܟܝܗ :
ܘܐܬܐܢܣܝܘܣ ܘܟܝܪܠܠܘܣ ܪܘܣܐ
ܟܪܣܝ ܐܠܐܣܟܢܕܪܝܗ : ܘܓܪܝܓܘܪܝܘܣ ܘܝܘܚܢܐ ܦܡ ܐܠܕܗܒ ܘܐܓܢܐܛܝܘܣ
ܪܘܣܐ ܟܪܣܝ ܩܣܛܢܛܝܢܝܗ : ܘܨܦܪܘܢܝܘܣ
ܘܝܘܒܢܐܠܝܘܣ

hæreditatem vitæ æternæ omnibus cuſtodientibus illa.

Item affirmo, & profiteor me amplexurum, & impleturum omnes Canones Apoſtolicos, & definitiones Synodorum quatuor, quæ fuerunt coactæ Niceæ, Conſtantinopoli, Epheſi, & Chalcedone, & aliarum Sanctarum Synodorum, quæ in Spiritu Sancto Congregatæ fuerunt in reliquis partibus univerſi habitabilis: quidquid ab illis reprobatum eſt, reprobo, & quid quid receptum fuit, ſuſcipio.

Item ſuſcipio, & veneror Patres Sanctos Eccleſiæ Columnas, Sylveſtrum, Julium, Cœleſtinum, Leonem, & Agathonem Romanæ Sedis Antiſtites: Ignatium, Euſtathium, Flavianum, & Johannem Maronem Antiocheni Throni Præſules; Athanaſium, Cyrillum Alexandrinæ Sedis Pontifices; Gregorium, Johannem Chryſoſthomum, & Ignatium Conſtantinopolitanos Pontifices; Sophronium, Juvenalem Sedis

dis Hieroſolymitanæ Epiſcopos.

Item Baſilium, Jacobum Niſibenum, Ambroſium Mediolanenſem, Ephrem, & Iſaac Syros, & cœteros Patres electos, qui ſanctis ſuis doctrinis, & magnis laboribus Eccleſiam Dei confirmarunt, deſtructis novitatibus, & hæreſibus, quas hæretici diſſeminarunt, ſcilicet, Manes, Sabellius, Arius, Macedonius, Neſtorius, Eutyches, Dioſcorus, Petrus Fullo, Severus, Petrus Apameenſis, Acacius, Sergius, & Macarius, & reliqui Novatores, qui ſchiſmata in Eccleſiam Dei invexerunt. Illos ergo Anathematizo, & reprobo, uti & abominor omnes eorum pertinaces aſſeclas Antiquos, & recentes. Poſtremo, promitto me veneraturum, & obtemperaturum Principi Pontificum Sedis Romanæ Antiſtiti electo ſecundum canones Eccleſiaſticos hodie, & in futurum; & e us legibus inhæſurum ſicut Patres qui nos in gratia præceſſerunt in hac Sancta Antiochena

ܠܡܣܬܩܝܡܗ : ܘܐܢܐ ܐܡܬܬܠ
ܦܝ ܐܠܡܚܒܗ ܘܐܠܟܪܐܡܗ ܡܪܣܠܝܗ
ܘܦܪܘܣܗ : ܘܠܐ ܐܬܦܩ ܒܟܠܝܗ
ܒܐܡܪ ܡܢ ܗܐܕܗ ܐܠܐܡܘܪ ܐܠܬܝ
ܬܘܕܝܗ ܦܝ ܐܠܚܝܐܗ ܐܘ ܦܝ
ܐܠܟܪܐܡܗ : ܘܐܢܝ ܐܒܕܠ ܟܠ
ܓܗܕܝ ܦܝ ܐܠܨܠܚ ܘܬܒܐܬ ܟܢܝܣܗ
ܐܠܠܗ ܒܐܓܡܥܗܐ : ܘܠܬܬܒܝܬ
ܗܕܐ ܐܠܘܥܕ ܘܐܠܐܥܬܪܐܦ ܐܠܕܝ ܨܐܪ
ܡܢܝ : ܟܬܒܬ ܗܕܗ ܐܠܘܬܝܩܗ
ܒܟܛ ܝܕܝ ܘܐܠܠܗ ܟܦܝܠ ܥܠܐ
ܐܩܘܠ ܘܟܝܠ . ܟܬܒ ܦܝ ܡܘܛܥ
ܦܠܐܢ ܦܝ ܐܠܣܢܗ ܦܠܐܢܝܗ ܦܝ
ܝܘܡ ܡܢ ܐܠܫܗܪ ܦܠܐܢ ܘܐܠܠܗ
ܐܠܡܓܕ ܐܒܕܐ .

ܬܡ ܝܐܟܕܘܢ ܐܠܕܪܓ ܡܢܗ
ܘܝܚܦܛܘܢܗ ܥܢܕ ܦܝ ܟܙܐܢܗ
ܐܠܟܪܣܝ .

ܬܘܒ ܐܡܪܝܢ ܬܫܡܫܬܐ ܕܬܪܬܝܢ .
ܨܠܘܬܐ ܕܫܘܪܝܐ . ܐܠܗܐ ܪܘܚܐ
ܦܪܩܠܝܛܐ ܗܘ ܕܒܝܗܒܬ ܡܘܗܒܬܐ
ܕܝܠܟ ܐܠܗܝܬܐ ܠܥܦܪ̈ܢܝܐ
ܫܡܝ̈ܢܐ ܥܒܕܬ ܘܪ̈ܒܝ ܒܬܐ ܡܗܝ̈ܡܢܐ
ܡܣ̈ܬܟܠܢܐ ܥܒܕܬ : ܥܢܝܢ ܠܢ ܐܦ
ܗܫܐ ܕܩܪܝܢ ܠܟ ܘܐܓܢ ܥܠ
ܥܒ̈ܕܝܟ ܕܡܣܟܝܢ ܠܡܘܗܒܬܟ
ܫܡܝܢܝܬܐ : ܘܢܣܩ :

ܘܐܡܪܝܢ ܥܢܝܢܐ ܕܡܙܡܘܪܐ ܡܢ
ܛܟܣܐ ܕܠܥܠ ܥܕܡܐ . ܫܒܚܘܗ
ܠܡܪܝܐ ܒܩܘܕܫܗ : ܘܡܩܕܫܝܢ
ܦܬܓܡ̈ܐ

chena Sede, meque caritate, & honore ejus legatos, & decreta proſecuturum, neque conſenſurum omnino in iis rebus, quæ illum in vita, vel in honore lædant, meque omnem operam navaturum pro pace, & ſtabilitate Eccleſiæ Dei totius. Ad confirmationem autem hujus promiſſionis, & profeſſionis meæ, ſcripſi hanc ſyngrapham caractere manus meæ, & Deum fidejuſſorem eorum, quæ dico, conſtituo. Datum in loco N. anni N. die tali menſis N. & Deo gloria in æternum.

Tum accipiunt ab eo volumen, & cuſtodiant ipſum in Archivo Sedis.

Item dicunt Secundum Officium.

Oratio Principii. Deus Spiritus Paraclite, qui divinis donis tuis, Terrenos feciſti cœleſtes, & diſpenſatores fideles, ac prudentes, exaudi nos etiam nunc invocantes te, & illabere ſuper ſervos tuos, qui expectant donum tuum cœleſte, & attollemus.

Et dicunt reſponſorium Pſalmi Miſerere mei, *ex ordine ſuperiori, uſque ad:* Laudate Dominum in Sancto ejus. *Et inci-*

Incipit Patriarcha, ac dicit Prooemium .

Laus unica , & in ſplendoribus triplex : commendatio unica , & trina in radiis , exaltatio unica , ac in luminibus triplex , uni lumini de lumine , & fonti luminis , & a quo lumen accipiunt virtutes ſupernæ , & intelligibiles illuminantes , atque illuminatæ , & ſunt icon , & exemplar Eccleſiæ noſtræ terreſtris ; qui lumine ſcientiæ ſuæ , & donis Spiritus Sancti illuminavit ſuos divinos Apoſtolos , & cognitione myſteriorum ſuorum Sanctorum eoſdem perfecit , eiſque concredidit poteſtatem chariſmatum ſpiritualium , ut illis exornati ſplendeſcerent illi, qui a Spiritu Santo eliguntur, & perficiuntur per manus eorum , atque conſummantur dono , quod a conſpectu Patris luminum deſcendit , & per illapſum Spiritus Sancti conceditur . Ad quem ſuſpicimus ſupplicatione , quæ ex corde offertur , ut aperiat noſtris precibus portam ſuarum miſerationum , & hunc Electum per manus noſtras perficiat , & impleat , atque vas utile gloriæ

ſuæ

[illegible]

ſuæ conſtituat in Eccleſia ſua Sancta, adeout in ejus puro miniſterio ſibi complaceat, eumque ut dilectum ſuſcipiat de manibus noſtris, qui illum promovemus, quique pro dono ipſius nobis conceſſo confitemur, & adoramus, et glorificamus in hoc momento, et in omnibus momentis.

Ordo. Supplices fundimus preces puræ ſuavitati miſerationum tuarum in omnibus effuſarum, & præ omnibus ſublimium in omni tempore, Domine Dominus noſter miſericordia plene, creator, factor, & conditor omnium. Tu, Deus noſter, qui ab Angelis adoraris, & laudaris perpetuo, et a Summis Sacerdotibus religioſe coleris, ac ſtupende, et Divine Trinis ſanctificationibus Sanctificaris a Seraphim, atque cum tremore, uti Dominus exaltaris & glorificaris ab omnibus agminibus virtutum ſpiritualium, & immaterialium, Tu, inquam, exaudi nos terrenos, & in pulvere detentos in hoc ſancto inſtanti, quoniam hominum amator es, & ſumma tibi eſt cura filiorum hominum. Tu enim cle-

clemens, & multæ bonitatis per miſerationes, quæ naturaliter tibi inſunt, voluiſti, ac tibi complacuit, ut laudis ſpiritualis, quam benigne cœleſtibus elargitus es, participes efficeres noſtram humanam, ac corpoream naturam. Quoniam autem Apoſtolis Sanctis, quos elegiſti, credidiſti ordines cœleſtes, typum illorum, quæ per Moyſen, & Prophetas præſignata fuerunt, myſtice, atque in umbra; per filium vero tuum dilectum Dominum Deum ac Salvatorem noſtrum Jeſum Chriſtum tradidiſti veritatem manifestam, atque conſummatam lucem Simoni vertici Apoſtolico, & Apoſtolis electis, & per eos toti Eccleſiæ Sanctæ uſque ad conſummationem ſæculi. Eja Domine, etiam modo per eaſdem tuas miſerationes, et per eandem tuam benignitatem, da, concede, & dignum fac ſervum tuum iſtum, qui ſuſcipiat donum magnum Summi Sacerdotii, ac ſit Rector bonus, et Antiſtes ſtrenuus, ac Paſtor Spiritualis tui benedicti gregis. Complaceat tibi, Domine, in iis, qui illum præſentant,

neque

neque nos repellas, nec abomineris, eo quod indigni ſumus; verum miſerationibus tuis viſita nos, gratia tua ſuſcipe deprecationem noſtram, Te ad nos inclina, & imple, ac perfice Servum tuum iſtum vas ad miniſterium tuum emundans eum ab omnibus iniquitatis, et peccati Sordibus; Sanctitate, et puritate animæ, et Corporis, ac Spiritus nitore, boniſque moribus illum exorna, in fide orthodoxa ipſum confirma, ne hæretico commercio contemptus fiat, ac deſpectus; concede ei, Domine Deus, ut humili corde accedat ad hoc Angelicum miniſterium, atque in timore, et tremore exerceat opus Sanctum tuorum divinorum myſteriorum, ut in eis inveniat redemptionem perfectam vitæ Suæ, et expiationem debitorum ac veniam peccatorum univerſi gregis tui rationalis, et Sacerdotalis, qui occulto Divinitatis tuæ judicio eidem concreditus eſt: Gratia, et miſerationibus Filii tui, ac Spiritus tui Sanctiſſimi, boni, adorandi, vivificantis, tibique

que conſubſtantialis nunc.

Hymnus tono *Protegite nos*.

Laudate Dominum in Sancto ejus. Sanctus, qui habitaculum ſuum demiſit in monte Sinai, ipſumque Sanctificavit: Habitatio tua deſcendat ſuper ſervum tuum, atque benedicatur tua providentia.

Laudate eum in fortitudine ejus. Inclinavit ſe Altiſſimus ſuper montem Sinai, et manum ſuam demiſit ſuper Moyſen, et Moyſes illam Aaroni impoſuit ac deducta eſt ad Joannem.

Laudate eum in tympanis. Spiritus Sanctus, qui deſcendit ſuper Apoſtolos in cænaculo, ipſe veniat, deſcendat, et maneat ſuper ſervum tuum per manus impoſitionem.

Gloria. Spiritus, qui locutus eſt per Prophetas, et venit ac illapſus eſt ſuper Apoſtolos, ipſe adveniat, illabatur, et maneat ſuper ſervum tuum, Domine, qui Sanctificetur.

Gloria Patri. Gloria Patri Sancto, qui Sanctum ſuum Filium miſit, et per Spiritum ſuum Sanctum dat Sanctitatem Sanctis.

ܡܢ ܥܠܡ .

[illegible]

A Sæculo .

Bone, qui tradidiſti Apoſtolis tuis poteſtatem Altitudinis et profunditatis: habitaculum tuum manere fac in ſervo tuo, qui coram te eſt inclinatus, et anctificetur.

Oratio Thuris. Dignitati gloriæ Magnitudinis tuæ altiſſimæ in ſua natura obtulimus has ſuavitates, quæ per fumum thuribuli elevantur, et ex profundo terræ limoſæ, et a motibus mentalibus ſuper palmas intellectus acuti viſus offeruntur ad placandam Majeſtatem tuam. Tu ergo bone, et ſuavis, et hominum Amator donis divinorum Chariſmatum tuorum animas peccatis inquinatas emunda, et ſanctifica, et hunc, qui per nos vocatus eſt, perfice, et imple gratia tua; ut cum illo talento, quod a Dominatione tua ei traditur, et cum lucris videtur duplicari, augeantur illi, et nobis cum iſtis præſentibus etiam futura, et gloriam ac honorem attollemus tibi, Patrique tuo, et Spiritui tuo vivifico. Nunc.

Et proſequitur ipſe Patriarcha

cha hanc Orationem pro ſeipſo inclinatus.

Domine Deus virtutum, qui nos in ſorte miniſterii hujus conſtituiſti, qui mentes hominum noſti, et corda ſcrutaris ac renes, exaudi nos propter miſerationes tuas, et emunda nos ab omni inquinamento carnis, et Spiritus. Transfer peccata noſtra velut nubem et veluti nebulam iniquitatem noſtram; Reple nos clementia tua ſanctiſſima, et gratia unici Filii tui, ac operatione Spiritus tui: dignos nos fac, qui ſimus miniſtri Teſtamenti novi, ut poſſimus, ſicuti congruit nomini tuo Sancto, adſtare coram te, et Sacerdotio fungi myſteriorum tuorum divinorum: ne permittas nos participes fieri peccatorum alienorum, verum et hæc noſtra dele: atque da nobis Domine nihil inordinate agere, quin & tribue nobis ſcientiam ad eligendos, et offerendos tibi dignos.

Exollit vocem ſuam.

Et ſuſcipe principem principum, ac perfice ſervum tuum hunc, qui hic adeſt, et expectat donum

ܡܛܠ ܕܒܣܝܡܐ ܐܢܬ ܘܣܓܝ
ܪ̈ܚܡܐ ܠܟܠܗܘܢ ܩܪ̈ܝܢܝܟ ܘܚܣܝܢ:
ܘܫܠܝܛ ܐܘܚܕܢܟ ܘܕܝܠܗ ܕܒܪܟ ܝܚܝܕܝܐ
ܕܝܠܗ ܘܕܪܘܚܐ ܕܝܠܟ ܩܕܝܫܐ: ܗܫܐ.
ܘܗܝܕܝܢ ܐܦܝܣܩܦܐ ܡܩܪܒܝܢ
ܠܗܘ ܕܡܬܩܪܒ ܠܩܕܡ
ܡܕܒܚܐ ܘܫܠܚܝܢ ܠܗ ܡܢܗ ܟܘܬܝܢܐ
ܕܩܫܝܫܘܬܐ ܘܡܥܦܪܬܐ ܥܕܡܐ
ܠܙܒܢܐ ܘܗܘ ܗܘ ܕܡܬܩܪܒ
ܟܐܦ ܥܠ ܬܪ̈ܬܝܢ ܒܘ̈ܪܟܘܗܝ ܟܕ
ܐܦ̈ܘܗܝ ܠܡܕܢܚܐ: ܘܗܝܕܝܢ
ܦܛܪܝܪܟܐ ܩܐܡ ܥܠ ܕܪܓܐ ܕܩܕܡ
ܡܕܒܚܐ ܘܐܦ̈ܘܗܝ ܠܡܥܪܒܐ.
ܘܐܡܪ. ܫܠܡܐ ܠܟܠܟܘܢ.
ܥܡܐ: ܘܥܡ: ܘܦܩܕ ܦܛܪܝܪܟܐ
ܠܚܕ ܡܢ ܐܦܝܣܩܘܦܐ
ܘܐܡܪ.

ܛܝܒܘܬܐ ܐܠܗܝܬܐ ܗܝ
ܕܟܘ̈ܪܗܢܐ ܡܚܠܡܐ ܡܐܣܝܐ:
ܘܚܣܝܪ̈ܬܐ ܡܡܠܝܐ ܘܡܦܪܢܣܐ
ܠܗ̇ ܥܠ ܥܕܬܐ ܩܪܝܐ ܘܡܩܪܒܐ
ܠܦܠܢ ܪܚܡ ܐܠܗܐ ܥܠ ܡܪܥܝܬܐ
ܡܒܪܟܬܐ ܕܐܢܛܝܘܟܝܐ ܡܕܝܢܬܗ
ܕܐܠܗܐ ܒܥܘ ܗܟܝܠ ܟܠܢ ܕܬܐܬܐ
ܥܠܘܗܝ ܛܝܒܘܬܐ ܘܡܓܢܢܘܬܐ ܕܪܘܚܐ
ܩܕܝܫܐ: ܘܢܩܥܐ ܘܢܐܡܪ ܬܠܬ
ܙܒ̈ܢܝܢ

donum cœleſte, quoniam ſuavis es, & multum miſericors omnibus Te invocantibus, & fortis eſt poteſtas tua, ac unici filii ſui, & ſpiritus tui Sancti: nunc.

Et tunc Epiſcopi adducunt promovendum ante Altare, eumque Presbyteratus *caſula, & amictu ſpoliant uſque ad tempus, Promovendus autem genu utrumque flectit facie ad oriente converſa. Deinde Patriarcha ſtans ſuper gradum qui ante altare eſt, facie ad occidentem verſa dicit.* Pax vobiſcum.

Populus: Et cum. *Et præcipit Patriarcha uni Epiſcoporum, ac dicit.* (1)

Gratia divina, quæ infirma ſanat, & defectus implet, cuique cura eſt de Eccleſia, vocat, & promovet *N.* Amantem dei ſuper benedictum gregem Antiochiæ civitatis Dei. Oremus igitur omnes ut veniat ſuper eum gratia, & illapſus Spiritus Sancti: & clamemus, ac dicamus

(1) Arabica Expoſitio ſonat, quod duo Epiſcopi Electum deducere debent, ac illum ſpoliare prædictis veſtibus: Tum Synodo Præfectus uni Epiſcoporum præcipit, ut manu Capiti ejus impoſita dicat Sequentem Orationem. Cætera autem conſonant Rubricæ Syriacæ.

camus ter. Kyr. Kyr. Kyr.

Patriarcha manus ſuas ponit ſuper corpus, & ſuper Calicem, & orat inclinatus.

Eja domine dignum eum fac vocatione ſummi Sacerdotii, ut mereatur per tuam benignitatem, ſicut congruit nomini tuo, tibi miniſtrare, & altari tuo Sancto, & paſcere gregem tuum pure, ſancte, et juſte.

Et dum perficit, manus ejus cooperiunt velo, & extollens vocem dicit.

Et conſequatur hæreditatem ſanctorum tuorum, per miſerationes unici Filii tui, per quem, et quocum attollemus tibi gloriam, et confeſſionem, ac Spiritui tuo vivo, et Sancto.

Et convertitur ad Electum ac demittit ſuper caput ejus (manus ſcilicet) *caſque ei commetitur, ſeu accomodat, duo autem Epiſcopi manibus ſuis ſuſtinent ſanctum Evangelii librum ſuper manus Patriarchæ : Alii vero ſuſtinent Flabella ſuper Evangelium. Et tunc Patriarcha elevat manus ſuas, & expandit brachia ſua., & demittit tribus vi-*

[illegible]

[illegible]

vicibus ſuper caput illius , qui ordinatur . Tum vero Epiſcopi ſuper manus Patriarchæ elevant , ac deprimunt Evangelium , & alii Flabella ſuper Evangelium commovent . Patriarcha autem orat inclinatus , (1) ac dicit precationem invocationis Spiritus ſancti .

Deus , qui virtute tua omnia cæleſtia feciſti , et orbem fundaſti voluntate vnigeniti tui , qui dediſti nobis intellectum veritatis , et notum nobis feciſti Spiritum tuum benignum , ſanctum , ac principalem ; qui dilectum Filium tuum Verbum Jeſum Chriſtum dominum gloriæ largitus es paſtorem , et medicum animabus noſtris , & Sanguine ejus pretioſo conſtituiſti eccleſiam tuam, et in ea poſuiſti totum Sacerdotalem ordinem , nobiſque tribuiſti directores ad hoc , ut placeremus tibi per agnitionem nominis Chriſti tui , quam mul-

(1) Arabica expoſitio habet . Converſus ad Electum manus ſuas motitat ſuper caput ejus : tum duo Epiſcopi tenent librum Evangelii apertum ſuper manus ejus : duo verò Flabella commovent ſuper Evangelium . Deinde attollit manus ſuas , extendit brachia , & iis elatis , ac depreſſis motitat ſuper caput Electi , idque tribus vicibus , quod faciunt , & Epiſcopi ter attollentes ac deprimentes ſuper manus ejus , & alii Epiſcopi Flabella ſuper Evangelium commoventes .

multipliciter effudiſti ſuper univerſum orbem. Tu mitte ſuper hunc ſervum tuum Spiritum Sanctum, et ſpiritualem, ut paſcat, et viſitet oves ſibi concreditas, utque ordinet Sacerdotes, conſtituat diaconos, et conſecret altaria, et eccleſias, et benedicat domos, faciatque invocationes efficaces; ſanet, judicet, gubernet, liberet ſolvat, liget, exuat, induat, figat, ſegreget, & omnem poteſtatem Sanctorum tuorum da illi, quam dediſti Apoſtolis vnigeniti Filii tui, ut ſit Princeps Principum gloriæ in honore Moyſis, in gradu Aaron, in virtute diſcipulorum tuorum ſanctorum, in operatione Jacobi Sancti, in Sede Patriarcharum, ut confirmentur populus tuus, et oves hereditatis tuæ per hunc ſervum tuum, da illi ſapientiam, et ſcientiam, et doceat voluntatem dominationis tuæ, ac peccata dignoſcat ſciatque definitiones juſtitiæ, ac judicium, et diſſolvat adinventiones profundas, et ſolvat omne vinculum iniquitatis.

Item

ܬܘܒ ܨܠܘܬܐ ܐܚܪܬܐ ܕܡܩܪܝܢܘܬܐ
ܕܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ ܕܐܝܬܝܗ̇
ܕܩܠܝܡܝܣ : ܡܬܐܡܪܐ ܟܕ
ܡܬܬܣܝܡ ܦܛܪܝܪܟܐ ܒܠܚܘܕ:
ܬܘܪܓܡܐ ܡܢ ܟܬܒܐ
ܕܩܠܝܡܝܣ ܥܠ ܓܘܒܝܬܐ
ܕܪܝܫܘܬܐ . ܒܚܕܒܫܒܐ ܕܝܢ ܢܩܒܠ
ܣܝܡ ܐܝܕܐ ܡܢ ܟܠܗܘܢ ܟܢܝܫܐ
ܕܡܫܬܘܝܢ ܠܫܘܡܠܝܐ ܕܝܠܗ
ܘܣܝܡܝܢ ܥܠܘܗܝ ܥܡ ܟܠܗܘܢ ܩܫܝܫܐ
ܘܐܦܝܣܩܘܦܐ ܟܕ ܐܝܕܝܗܘܢ
ܟܕ ܡܫܝܓܢ ܐܝܕܝܗܘܢ ܫܬܩܝܢ
ܒܕܚܠܬܐ : ܟܕ ܠܥܠ ܠܒܘܬܗܘܢ
ܥܒܝܕܝܢ ܒܫܠܝܐ : ܙܕܩ ܕܝܢ
ܠܐܦܝܣܩܘܦܐ ܕܟܢܝܫܝܢ
ܕܟܠ ܚܕ ܢܣܝܡ
ܐܝܕܐ ܥܠܘܗܝ ܟܕ ܐܡܪܝܢ
ܗܟܢܐ .

ܣܝܡܝܢܢ ܐܝܕܝܢ ܥܠ ܗܢܐ
ܥܒܕܗ ܕܐܠܗܐ ܕܓܒܐ ܒܪܘܚܐ ܠܩܘܝܡܐ ܫܪܝܪܐ ܘܢܟܦܐ ܕܥܕܬܐ ܕܐܝܬܝܗ̇ ܡܘܢܪܟܝܐ ܘܠܐ ܡܫܬܪܝܢܝܬܐ

Item alia oratio invocationis Spiritus Sancti, quæ eſt Clementis : recitatur ſolum cum ordinatur Patriarcha : Interpretatio ex libro Clementis de electione Pontificis. Die dominico ſuſcipiat manus impoſitionem omnibus congregatis, & conſentientibus ordinationi illius, & ponentibus ſuper eum (1) cum omnibus Preſbyteris, & Epiſcopis; & ablutis primum manibus taceant in timore ſurſum corda habentes in ſilentio; debent autem Epiſcopi congregati ſinguli manus imponere ſuper eum ſic dicentes.

Imponimus manus noſtras ſuper ſervum Dei iſtum qui electus eſt in ſpiritu ad ſtatum firmum, et religioſum Eccleſiæ, cujus Principatus Monarchicus eſt, atque indiſſolu-

(1) Expoſitio Arabica idem ſonat; ſed addit, claritatis cauſſa, quod interea Epiſcopi manus ſuas ſuper caput Electi impoſitas habere debeant.

(1) Loco ܣܗܕܝܢ ܘܡܫܬܘܝܢ legi forte debet ܡܣܗܕܝܢ, ideſt *teſtimonium reddentibus de eo.*

lubilis indefectibilis eſt,ac inviſibilis Dei datoris judiciorum verorum, et ſanctarum revelationum, divinorumque chariſmatum, dogmatum Fidelium Trinitatis per Crucem, per Reſurrectionem, incorruptibilitatem in Eccleſia ſancta Dei, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Poſt hæc unus Epiſcopus præceptum habens ab Epiſcopis reliquis imponat ſuper eum manus dicens invocationem ipſiuſmet ordinationis ſanctiſſimæ.

Inclinatio. Deus, qui omnia in virtute feciſti, & firmaſti, ac fundaſti conceptu mentis orbem habitabilem, qui ornaſti coronam omnium rerum a te factarum, qui dediſti nobis in timore cuſtodire mandata tua, qui tribuiſti nobis intellectum veritatis, & manifeſtaſti nobis ſpiritum tuum illum bonum, qui Filium tuum dilectum miſiſti unicum Salvatorem noſtrum immaculatum pro redemptione noſtra: Deus Pater Domini Noſtri Jeſu Chriſti; Pater miſericordiarum, &

ܒܘܝ̈ܐܐ : ܗܘ ܕܒܡܪ̈ܘܡܐ ܕܟܝܐ
ܥܡܪ ܐܢܬ ܡܬܘܡܐܝܬ : ܗܘ
ܕܐܝܬܝܟ ܪܡܐ ܘܡܫܒܚܐ ܘܕܚܝܠܐ
ܘܪܒܐ ܘܚܙܐ ܟܠ : ܗܘ ܕܝܕܥ
ܐܢܬ ܠܟܠܗܘܢ ܥܕ ܠܐ ܢܗܘܘܢ :
ܗܘ ܕܠܘܬܗ ܟܠܗܝܢ ܥܕ
ܕܢܗܘ̈ܝܢ ܗ̈ܘܝ ܗܘܝ : ܗܘ ܕܝܗܒܬ
ܡܢܗܪܘܬܐ ܠܥܕܬܐ ܒܝܕ ܛܝܒܘܬܐ
ܕܝܚܝܕܝܐ ܒܪܟ ܟܕ ܐܬܚܡܬ ܡܩܕܡܬ
ܡܢ ܫܘܪܝܐ ܠܗܠܝܢ ܕܪ̈ܚܡܝܢ
ܟܐܢܘܬܐ ܘܥܒܕܝܢ ܗ̇ܠܝܢ
ܕܩܕ̈ܝܫܢ : ܠܡܥܡܪ
ܒܐ̈ܘܢܐ ܕܝܠܟ :
ܗܘ ܕܓܒܝܬܝܗ ܠܐܒܪܗܡ ܗ̇ܘ
ܕܫܦܪ ܠܟ ܒܗܝܡܢܘܬܐ : ܘܠܚܢܘܟ
ܩܕܝܫܐ ܠܓܙܐ ܕܚܝ̈ܐ
ܝܗܒܬ : ܗܘ ܕܟ̈ܗܢܐ ܘܪ̈ܝܫܢܐ
ܬܩܢܬ ܒܒܝܬ ܩܘܕܫܟ ܕܡܪܝܡ ܡܪܝܐ
ܡܪܝܐ ܗܘ ܕܩܪܝܬ ܐܢܘܢ ܠܡܫܒܚܘ
ܘܠܡܫܘܕܥܘ ܒܐܬܪ ܫܘܒܚܟ ܠܫܡܟ
ܘܕܝܚܝܕܝܐ ܕܝܠܟ : ܡܪܝܐ
ܐܠܗܐ ܗܘ ܕܠܐ ܫܒܩܬ ܠܥܠܡ
ܡܫܝܚܐ

Deus totius conſolationis, qui in puris altis habitas perpetuo, qui es altiſſimus, laudabilis, terribilis, magnus, & omnia videns; qui omnia, antequam fiant noſti, apud quem omnia, antequam ſint, jam erant (1): qui illuminationem dediſti Eccleſiæ per gratiam vnigeniti Filii tui prædefiniens ab initio illos, qui cupiunt æquitatem, & faciunt, quæ ſancta ſunt, habitare in manſionibus tuis (2); qui elegiſti Abraham, qui placuit tibi in fide: Et Henoc ſanctum theſauro vitæ donaſti; qui Principes, et Sacerdotes ordinaſti in ſanctuario tuo altiſſimo, domine; qui vocaſti eos ad laudandum, et glorificandum in loco gloriæ tuæ nomen tuum, et vnigeniti tui; Domine Deus qui non reliquiſti

(1) Hiſce expreſſionibus futurorum præſentia in æternitate Dei ſignificatur, qua de re vid. Eminentiſſimum Card. Aguirre in Theol. diſp. 44. ſect. 3. & S. Th. 1. p. q. 14. art. 13.

(2) S. Th. 1. p. q. 23. art. 5. -- dicendum ergo, quod effectum prædeſtinationis conſiderare poſſumus dupliciter, & uno modo in particulari, & ſic nihil prohibet aliquem effectum prædeſtinationis eſſe cauſam, & rationem alterius; poſteriorem quidem prioris ſecundum rationem cauſæ finalis; priorem vero poſterioris ſecundum rationem cauſæ meritoriæ, quæ reducitur ad diſpoſitionem materiæ. Sicut ſi dicamus, quod Deus præordinavit ſe daturum alicui gloriam ex meritis, & quod præordinavit ſe daturum alicui gratiam, ut mereretur gloriam. Alio modo poteſt conſiderari prædeſtinationis effectus in communi &c.

ſti ſublime Sanctuarium tuum ſine miniſterio ante conſtitutionem mundi; Sanctuaria tua exornaſti, et decoraſti Principibus (Pontificibus), & Sacerdotibus Fidelibus juxta formam cælorum tuorum. Tibi Domine etiam placuit modo laudari in hoc ſervo tuo, et dignum effeciſti eum præeſſe populo tuo; illumina eum, et effunde ſuper eum gratiam, et intelligentiam Spiritus tui principalis, quam tradidiſti dilecto Filio tuo Domino Noſtro Jeſu Chriſto: da ei, Deus, ſapientiam laudabilem, fortitudinem, virtutem, unitatem Spiritus ad faciendum omnia per tuam cooperationem. Concede ei Deus Spiritum tuum ſanctum, qui datus fuit ſanctis tuis: confirma Eccleſiam tuam puram, et ſanctam, & omnem locum tuum ſanctum; largire etiam Domine, ut ſervus tuus iſte, qui placuit tibi, ſit ad enarrationem gloriæ, & laudem inceſſabilem, ad glorificationes perfectas, & tempori aptas, ad orationes acceptas, poſtula-

ſtulationes fideles ; cogitationes rectas , cor humile , ad actionem vitæ , & humilitatis , ac veritatis , ad ſcientiam rectitudinis. Pater , qui noſti corda omnium , effunde virtutem tuam ſuper hunc ſervum tuum , quem elegiſti ad Patriarchatum , ut paſcat univerſum gregem tuum ſanctum , & ſummo Sacerdotio fungatur ſine querela die ac nocte tibi miniſtrans , & concede , ut illi adpareat facies tua , eumque dignum redde , qui tibi attente , & cum omni timore offerat oblationes Eccleſiæ tuæ ſanctæ , & impertire ei totam poteſtatem , quam dediſti ſanctis Apoſtolis tuis , ut poteſtate Spiritus tui ſolvat omnia ligamina , quemadmodum iiſdem Apostolis tuis conceſſiſti , & ut placeat tibi in pura humilitate , caritate illum imple , ſcientia , diſcretione , diſciplina , perfectione , magnanimitate cum puro corde , dum orat pro populo , dum contriſtatur pro his , qui ſtultè agunt , eoſque ad auxilium trahit , dum offert tibi laudes , & confeſſiones , ac

ac orationes in odorem ſuavitatis per Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum filium tuum dilectum, per quem tibi gloria, honor, & imperium una cum Spiritu tuo ſancto, ab æterno & nunc, & omni tempore, et in generationem generationum, et in ſæcula infinita Amen.

Et dum perficit, converſus ad altare extollit vocem ſuam.

Quia tu es dator bonorum, et largitor ſcientiarum, & chariſmatum divinorum, tibique laudem attollimus, Pater.

Et converſus ad populum dicit.

Pax vobiſcum.

Populus. Et cum.

Inclinatus = Reſpice in nos, Domine, et in miniſterium noſtrum, & munda nos ab omnibus inquinamentis, concede de cælo gratiam Summi Pontificatus ſervo tuo, ut dignus ſit per donum tuum, qui ſine reatu paſcat oves tuas, et ſtet pro Eccleſia tua.

Extollit vocem ſuam.

Quia Deus volens miſericordias es, tibìque convenit ab omnibus honor, et adoratio, & Filio, ac Spiritui Sancto nunc.

Epiſ-

[illegible]

Epiſcopi elevant ac removent ab eo Evangelium, & Patriarcha (1) ſignat eum pollice in fronte voce dicens.

Ordinatur in Eccleſia Sancta Dei

Reſpondent Epiſcopi;

N. Patriarcha pro Eccleſia Sancta civitatis Antiochiæ diæceſis benedictæ.

Patriarcha repetit præconium dicens.

N. Patriarcha pro Eccleſia ſancta orthodoxorum prænominata. In nomine Patris ✠ Amen. Et Filii ✠ Amen. Et Spiritus Sancti ✠ Amen.

Et ad unamquamque invocationem crucem format ſuper frontem ejus, & tunc Patriarcha, (ſeu Præſes Synòdi, ut Arabica expoſitio adjecta habet) erigit eum dextera ſua, uno ex Epiſcopis interea prædicante, & ter dicente Kirie Ologhion (2) *Ac populo ter pariter reſpondente.*

---

(1) Arabica expoſitio adjecta habet, & Præſes Synodi ad invocationem Trinitatis ter illum in fronte ſignet.

(2) Male ſcripta eſt in codice hæc formula Græca, quæ latine ſonat, Domine benedic, unde ſcribenda erat Κυριε ευλογυισον.

dente . Kirie eleiſon . *Tunc Patriarcha imponat ſuper caput ejus cidarim , & dicit.*

In laudem , & gloriam, & honorem , et exaltationem Trinitatis Sanctæ , & conſubſtantialis & in ſecuritatem ac ædificationem Eccleſiæ ſanctæ Dei .

Et reſpondent poſt eum Epiſcopi , & Clerus univerſus eodem tono . (1) *Deinde accipit Patriarcha planetam & induit eum dicens* : In Laudem : *Tum Orarium dicens* = In laudem = *& Mithram ter motitans ſuper caput ejus , ac dicens* . In laudem . *idem poſt eum Reſpondentibus* . *Tunc admovent thronum , & dicitur lectio* -- In laudem -- *Dum is qui promotus eſt , ſedet in throno , collocatur autem itaut facies ejus verſa ſit ad occidentem , deinde Epiſcopi , & Presbyteri apprehendunt thronum , attolluntque eum ter , & unaquaque vice incipit Patriarcha , & reſpondent poſt eum omnes , atque dicunt* = Axios , di-

ܦܪܣܘ ܘܐܡܪܝܢ܂ ܠܬܫܒܘܚܬܐ ܘܠܫܘܒܚܐ ܘܠܐܝܩܪܐ ܘܠܡܪܘܡܡܘܬܐ ܕܬܠܝܬܝܘܬܐ ܩܕܝܫܬܐ ܘܫܘܝܬ ܐܘܣܝܐ ܘܠܫܝܢܐ ܘܠܒܢܝܢܐ ܕܥܕܬܐ ܩܕܝܫܬܐ ܕܐܠܗܐ܂

[illegible]

1) Idem arabica expoſitio ſonat .

[illegible]

dignus, & juſtus. (1) *Tum ſi ordinatus ſit Patriarcha ſtans legit Evangelium, & quoties dicit illa* · Ego ſum paſtor : *Clamat populus* : dignus, & juſtus eſt . *Si autem ordinatus non fuerit Patriarcha, unus ex Epiſcopis legit Evangelium.*

Evangelium ex Joan. nu. 26.

In illo autem tempore reſpondit Jeſus, & dixit. Amen, Amen dico vobis, qui non intrat per oſtium in ovile &c. *uſque* . numquid Dæmonium poteſt oculos cæci aperire.

Et in fine ſedet in throno uſque dum dicant Litaniam, & reliquas orationes, & unus ex Epiſcopis intonat.

Stemus recte omnes in Oratione cum attentione, & vocibus, quæ Deum nobis placatum reddant.

Pro Eccleſia Sancta, & unica Catholica, Apoſtolica, quæ eſt a finibus orbis terrarum, uſque ad fines ejus, Dominum

---

(1) Arabica expoſitio habet : ubi Electum collocarunt in ſupremo gradu altaris ſuper Sedem pretioſam, Epiſcopi, & Sacerdotes illum in Sede elevant, & circumducunt tribus vicibus. Et unaquaque elevatione Synodi Præſes canat una cum Epiſcopis *Axios*, quæ græca vox retenta in Syriaco textu eſt, ac exponitur *dignus, & juſtus*; quod idem *poſt illos* canunt Miniſtri Altaris, & populus.

num rogemus. Ut ſine ſcandalo, ſed a gratia electio ſit, Dominum deprecemur. Pro N. iſto Patriarcha, qui adſtat, Domino Supplicemus. Pro firma ſtabilitate ejus, Domino Supplicemus. Ut placeat Deo, Sanctos oremus. Pro Eccleſia, quæ ipſi commendata eſt, Dominum rogemus. Pro honeſtate, et decore vitæ ejus, et ejus tranquillitate, & humilitate, & ſcientia recta, Deum Oremus. Ut nos omnes dignos reddat victoria vocationis ſupernæ, Dominum deprecemur. Omnes pro omnibus, & pro invicem ſtudioſe Dominum rogemus.

Patriarcha converſus ad altare dicit orationem gratiarum actionis inclinatus.

Gratias agimus tibi Domine omnipotens in omnibus, & pro omnibus, & laudamus, atque glorificamus nomen tuum Sanctum, quia magnificaſti facere nobiſcum, & effudiſti gratiam tuam ſuper hunc ſervum tuum, precamur itaque, et obſecramus te, Domine, exaudi nos propter multitudinem miſeratio-

[illegible]

num tuarum , complaceat tibi in Chirotonia iſta Summi Sacerdotii , quæ facta eſt ſuper famulum tuum religioſiſſimum N. per adventum Spiritus tui Sanctiſſimi , adde ſuper hanc vocationem electionem , ſanctitatem , & gratiam bonitatis tuæ , & da illi , ut ſuperaddat talento , quod accepit.

Et extollit vocem.

Ut cum omnibus illis , qui a ſæculo placuerunt tibi , et fecerunt voluntatem tuam , accipiat mercedem Æconomorum fidelium , & prudentium in adventu Domini Dei Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti , cum quo tibi convenit gloria , honor , et poteſtas , una cum Spiritu tuo Sanctiſſimo , bono , adorando , vivifico tibique conſubſtantiali . nunc .

Et iterum convertitur Patriarcha ad illum , qui promovetur , manum ejus apprehendens , illumque erigens e ſede. Et affertur baculus , cujus ſummitatem apprehendit Patriarcha , ſive Præſes Synodi , & ſubter manum Patriarchæ apprehendit eum unuſquiſque ex Epiſcopis juxta ordinem ſuum , & ſubter hos omnes apprehendit

dit eundem baculum ille, qui promovetur; & Patriarcha dicit alta voce cum cantu.

Virgam fortitudinis mittet tibi Dominus ex Sion, & Dominaberis inimicis tuis.

Et poſt eum reſpondent Epiſcopi, & omnes Clerici. Et accipiens Præſes *Synodi dexteram Patriarchæ elevat eam ſuper omnium Epiſcoporum manus, itaut ſinguli teneant baculum ſub ejus manu quiſque in ordine ſuo; & iterum ſecundo, & tertio dicit Patriarcha* Virgam Fortitudinis. *Et elevat dexteram ejus, qui promovetur ſuper dexteras omnium, qui proſequuntur dicentes tò* virgam *&c.. Et per hoc oſtenditur magis quod ex voluntate eorum cum voluntate Sancti Spiritus data eſt ei poteſtas ſuper omnes, & ſuper totam Eccleſiam: & tum relinquunt baculum in manu ejuſdem Promovendi; & poſtea admovent illum menſæ vitæ, cui aurem inclinanti ſubmiſſa voce dicit Præſes Synodi.* (1)

Ecce ſtas in conſpectu Dei, et

(1) Arabica interſeritur expoſitio pro captu eorum, qui Syriacam Linguam ignorant; uti & e margine adiicitur expoſitio admonitionis, & orationis Seqq.

et coram Altari ejus propitiatorio, et coram cætibus ſanctorum Angelorum, et hominum horum circumſtantium, et verbum promiſſionis, et definitionis Dominicæ coram eis pollicitus es; quod vere eſt fædus, et teſtimonium bonorum operum, quæ exigit a Te vocatio divina hæc, ad quam vocatus es per manus noſtræ humilitatis. Quamobrem adiuro Te per Patrem, et Filium, et Spiritum ſanctum, et Angelorum Cætum ut pure ac ſancte teipſum cuſtodias, & conſulas Gregi huic tibi commiſſo ſatagens ex tota virtute tua paſcere illum juxta legem apoſtolicam non accipiens perſonas, nec mercede vendens deum, aliquid (*ſcilicet*) accipiens pro chriſmate, aut pro ſacra Tabula, aut pro chirotonia, & exinde reus exſiſtas in tuo miniſterio, quod, oramus Deum, ex ſimilibus læſionem nullam patiatur. Si autem auſus fueris, & conculcaveris conſcientiam tuam, ac deturpaveris fidem tuam, et offenderis in ordine Apoſtolico, Tu rationem dabis Deo in die

die judicii, et nos amodo innocentes ſumus a damnatione tua. Oramus ut concedat tibi Dominus, ut teipſum exhibeas victimam puram & ſanctam, & Gregem tuum illuſtres, & enutrias moribus puris, & ſanctis, & lætifices Deum, ac humilitatem noſtram in cuſtodia Sancta ejus, quod accepiſti.

Et hanc orationem recitat.

Deus, qui elegit Moyſen ſeruum ſuum & per manus ejus fecit ſigna, & prodigia in regione Aegypti, qui etiam Davidem elegit de gregibus ovium, ac de poſt fætantes accepit eum, paſcere Jacob populum ſuum, & Iſrael hæreditatem ſuam, qui Divinos Apoſtolos elegit, & præcones Evangelicæ Annunciationis fecit, ac per manus eorum ſigna glorioſa patravit, & omnia prodigia; Ipſe etiam nunc apprehendat manum tuam dexteram, & paſcat tecum gregem rationalem tibi commiſſum, inſtruens te artibus probati Paſtoris, & bene dirigentis, & complanet ante te omne aſperum, & offendiculum, per Orationes Deiparæ Mariæ, divino-

[illegible]

vinorum Apoſtolorum ; Patrum Sanctorum, & Doctorum Orthodoxorum, in ſecula Amen.

Et ſtatim unus Epiſcoporum intonat Litanias, Clero univerſo aſſiſtente coram Altari cum ſilentio. Poſt Litaniam vero incohant Cantica alicujus Doctoris, quibus nominatim exornetur & commendetur Ordinatus & Patriarcha ac Epiſcopi. (1)

Chriſte Deus omnium noſtrum, qui in Perſonis ſcilicet, & in proprietatibus Notionalibus diſtinctus non diviſus, Trinus intelligeris, in æqualitate autem ſubſtantiæ, in natura, honore poteſtate, ac voluntate, una divinitate, unicus crederis & cognoſceris, Pater æterne a Seculis, & Fili genite ſine principio, ac Spiritus Sancte non quantus in qualitate, una unitas, quæ in Trinitate adoratur, Trinitas in unitate ab omnibus intellectualibus, & ſenſibilibus cum confeſſione creditur; Oramus te Domine Deus, exaudi nos.

Præ-

(1) Hocipſum Arabice expoſitum legitur. Dicitur autem commendari Patriarcha, ſiquidem iſte fuerit Ordinator, & Chirotonia ſit Metropolitani; ſi enim fuerit Patriarchæ inthronizatio, tunc is nomine *Patriarchæ* venit, qui Præſes Synodo eſt.

Præſes Synodi, & Epiſcopi dant ei pacem, & adducunt eum ad fores Altaris, ibi populum benedicit baculo, qui in manu ejus eſt, ſignum Crucis ter ducens; & reliquus cætus oſculantur manum dexteram ejus benedictionem recipientes, & poſtea myſteria vivifica ſuſcipiunt, & oblationem (Sacrum Miſſæ) perficit is, qui promotus eſt, atque Præſes Synodi Commendat, ſeu dimittit populum Solemnibus formulis. (1)

ܪܝܫ ܣܘܢܗܕܘܣ
ܘܐܦܝ̈ܣܩܘܦܐ ܝܗܒܝܢ ܠܗ
ܫܠܡܐ ܘܡܩܪܒܝܢ ܠܗ ܠܬܪܥܐ
ܕܡܕܒܚܐ ܘܬܡܢ ܡܒܪܟ ܠܥܡܐ
ܒܚܘܛܪܐ ܗܘ ܕܒܐܝܕܗ
ܒܪܘܫܡܐ ܕܨܠܝܒܐ ܬܠܬ ܙܒܢ̈ܝܢ
ܘܫܪܟܐ ܕܟܢܫܐ ܡܢܫܩܝܢ ܐܝܕܗ
ܝܡܝܢܗ : ܘܡܩܒܠܝܢ
[illegible] ܐܪ̈ܙܐ
ܡܚܝ̈ܢܐ ܘܡܫܡܠܐ
ܠܩܘܪܒܐ ܗܘ ܕܐܬܬܣܝܡ
ܘܪܝܫ ܣܘܢܗܕܘܣ
[illegible] :

EXPLICIT.

(1) De his vide Cod. Liturg. tom. 5. pag. 215. 220. & 396.

APPENDIX I.

In qua Ordinationum Syrorum Maronitarum Commentaria exhibentur deprompta ex noviſſima illorum Synodo Libanenſi anni 1736.

CAPUT II. PARTIS III.

De Cantore, Lectore, Subdiacono, Diacono, Diaconiſſa, Exorciſta, Archidiacono, & Æconomo.

1. IN ipſa Cantoratus Ordinatione apud nos Tonſura Clerici continetur, quæ adeo diligenter ab Epiſcopo eſt ſervanda, quoniam in nonnullis Mſs. Codicibus, qui ad Syros Jacobitas pertinent, ſolentque cum noſtris ab imperitis confundi, Tonſura omittitur. Et ſi autem Græci, atque Syri Neſtoriani Cantoratu prætermiſſo, ordines ſuo a Lectoratu incipiant, cum quo etiam Tonſuram conjugunt; (*Goar in Euchol. Græc. Morin. de Sacr. ordin. exercit.* 14. *cap.*5.) a noſtro tamen antiquo ritu non eſt recedendum, in quo Cantoratus nec ſola juſſione Presbyteri, ſicut in Eccleſia Romana confertur: (*vid. tom. noſtrum* 8. *Cod. Liturgici*) nec arbitrio Epiſcopi, ſicut apud Græcos (*Goar in Euchol.*), illius collatio relinquitur, ſed inter minores ordines primum locum habet, & officium ejus eſt, Pſalmos, & hymnos in Eccleſia Cantare. Hinc codex Pſalmorum in ordinatione Cantori traditur, & in Concilio Laodicen. (*can.*15.) cavetur, quod, *non oporteat amplius præter eos, qui regulariter Cantores exiſtunt, qui, & de codice canunt, alios in pulpitum conſcendere, & in Eccleſia pſallere*. Cum vero in ipſius Cantoris ordinatione neque tunica ei detur ab Epiſcopo, neque orarium, ſeu ſtola humero ejus imponatur; coercendi ſunt ii, qui Cantoratus ordinem tantummodo ſuſceperunt, & præſumunt tamen ſtolam inſtar Lectorum, Tunicamque in Eccleſia deferre.

2. Lectoris, qui ſecundum apud nos locum inter minores ordines occupat, officium eſt lectiones in Eccleſia cantare. Et antiquus

quus quidem Ritus fuit,ut Lectores in Eccleſia non ſolum ex Teſtamento vetere Propheticas,ut vocant;ſed etiam ex novo Apoſtolicas,et Evangelicas lectiones recitarent:hinc apud Græcos Ordinato Lectori traditur *Codex Apoſtolicus*, ideſt Epiſtolas Paulinas, & ſeptem Canonicas, & Acta Apoſtolorum continens; & in Eccleſia Romana admonentur ordinandi Lectores: *Studete igitur verba Dei, videlicet lectiones ſacras diſtincte, & aperte ad intelligentiam, & ædificationem populi abſque omni mendacio falſitatis proferre*. Quod S. Cyprianus (*lib. 4. ep. 5. ad Præsbit., & Plebem, & epiſtola 33.*) etiam ad Evangelicas lectiones ſuo ævo extenſum teſtatur: *Quid aliud quam ſupra pulpitum, ideſt ſupra Tribunal Eccleſiæ, oportebat imponi Clericum, ut loci altioris celſitate ſubnixus, & Plebi univerſæ pro honoris ſui claritate conſpicuus, legat præcepta Evangelij Domini, quæ fideliter, & fortiter loquitur*. Et alibi: *Placuit ab officio Lectoris incipiat quia nihil magis congruit voci, qua Dominum glorioſa prædicatione confeſſus eſt, quam divinis celebrandis laudibus perſonare. Poſt vero ſublimia, quæ Chriſti martyrium prolocuta ſunt, Evangelium Chriſti legere, unde Martyres fiunt; ad pulpitum poſt cataſtam venire*. Qua vero ratione Epiſtolam legendi ad Subdiaconum, & Evangelium canendi ad Diaconum in Eccleſia Latina tamquam præcipuum munus ſubſecutis temporibus fuit devolutum; eodem modo apud nos Lectiones e divina ſcriptura recitandæ in V. partes ſunt diviſæ, et totidem ordinibus attributæ. I. pars ex Teſtamento vetere, exceptis Prophetis. Altera,ex Prophetis. III. ex ſeptem Epiſtolis Canonicis, & Actibus Apoſtol. IV. Ex Epiſtolis Pauli. V. Ex Evangeliis. Cantores primam, Lectores ſecundam; tertiam Subdiaconi, quartam Diaconi, & quintam Archidiaconi ſibi vindicant. Cum vero Lectores tantum in Eccleſia reperiuntur,tunc ipſi lectiones omnes legunt, & Presbyter Evangelium. Similiter cum adſunt Diaconus,& Presbyter,hic Evangelium, ille Epiſtolam legit;cum vero Subdiaconus, & Diaconus Presbytero miniſtrant, prior Epiſtolam,alter Evangelium canat: Archidiaconus enim Diacono juriſdictione, non ordine eſt ſuperior.

Sacra Lectorum veſtis eſt Tunica, & orarium, ſeu Stola ex humero ſiniſtro pendens. Tunica (*Theſſalon. de Sacram.*) quæ Græcis Phelonium, ſeu Phenolium, & Sticharium dicitur, e lino conficitur, primamque Sacerdotii delibationem demonſtrat: parva eſt propterea, Deique protectionem menti repreſentans: Vel purpurea, propter purpureum Chriſti indumentum; vel candida propter Sacerdotii puritatem, & lumen, quo ſplendet. Orarium vero Lectorum ab eo, quod Subdiaconi, & Diaconi geſtant, in hoc tantum differt, quod Lectores, & Subdiaconi illud ex humero ſiniſtro pendulum deferunt, Diaconi vero ſiniſtro humero impoſitum, ſub dextero brachio.

Antiquus Concilii Antiocheni canon (16.) præcipit, ut Chorepiſcopi, qui manus impoſitionem Epiſcoporum perceperunt, non Presbyteros, neque Diaconos, ordinent, ſed Subdiaconos tantum Lectores, & exorciſtas. Patres vero S. Synodi Nicænæ ſecundæ (*an.*789. *can.*14.) permittunt unicuique Abbati Lectoris manus impoſitionem in proprio monaſterio dumtaxat faciendi, dummodo Abbati manus impoſitio facta noſcatur ab Epiſcopo ſecundum morem præficiendorum Abbatum, dum conſtet illum eſſe Presbyterum: eandemque ordinandi Lectoris poteſtatem Chorepiſcopis confirmant. His igitur Patrum ſanctionibus inhærentes Chorepiſcopis, et Abbatibus Presbyteris ſupradictis poteſtatem ordinandi Lectores, & Cantores confirmamus, ſic tamen, ut id ex licentia Reverendiſſimi D. Patriarchæ tantum, in ſcriptis concedenda, fiat, et Abbates Monachis ſibi ſubjectis, non aliis, Lectoratum, et Cantoratum conferant, poſtquam ipſi ab Epiſcopo, ſeu Rmo D. Patriarcha conſecrationem Abbatialem acceperint. Subdiaconatum vero Chorepiſcopi conferre nullatenus audeant, neque id ipſis a RmoD. Patriarcha committatur, niſi ubi Epiſcopus ſine gravi incommodo haberi non poſſit.

3. Subdiaconi officium eſt, Diacono miniſtrare, Eccleſiæ fores cuſtodire; cymbalum, tintinnabulum, et campanam pulſare: Ceroferarium ferre: Luminaria Eccleſiæ accendere; aquam, & vinum ad miniſterium altaris præparare: aquamanile, et mantile

tile accipere, & celebranti aquam ad lavandum fundere, et mantile, ſeu mappulam ad abſtergendas manus præbere: Pallas Altaris, et corporalia abluere: Calicem, et Patenam in uſum Sacrificii Diacono offerre: Ex Epiſtolis demum Canonicis, ex Actibus Apoſtolorum in Eccleſia legere. Continet itaque in ſe uno tres Ordines, qui in Eccleſia Romana ſeparatim conferuntur, Oſtiariatum ſcilicet, Acolythatum, & Subdiaconatum. Cumque apud nos inter minores ordines adhuc computetur, hinc Subdiaconus non tenetur ad horas Canonicas, neque ad ſervandam caſtitatem, ſicut tenentur Presbyter, et Diaconus. Quamobrem fas illi eſt, etiam poſt ordinationem, uxorem ducere, quam ſi unicam, & virginem duxerit, ad altiores Sacerdotii gradus promoveri poterit: Si vero ſecundam uxorem poſt ordinationem duxerit, aut viduam, vel corruptam; ratum quidem erit matrimonium, ſed ad Diaconatum, ſive Presbyteratum aſcenſus omnino ei intercluditur, neque in ſuo ordine miniſtrare amplius in Eccleſia permittitur: quod, et de Lectore, deque Cantore bigamis eſt intelligendum. Etſi enim antiquo canone (*numero* 25.) qui Apoſtolis inſcribitur; Nuptiæ Lectoribus tantum, atque Cantoribus poſt ordinationem permittuntur, et Trullanus canon (6) eas Subdiaconis æque ac Diaconis, et Presbyteris interdicit; eum tamen canonem Syriaca nequaquam ſuſcepit Eccleſia, et Græci ipſi in Syria commorantes Subdiaconatum inter minores ordines adhuc computant, neque illi annexum caſtitatis votum agnoſcunt. Quin et Patres Concilii Chartaginienſis V. (*an.* 398. *can.* 3.) Subdiaconos, et inferiores Clericos a lege cælibatus excipiunt cum ajunt. *Præterea cum de quorundam Clericorum quamvis erga uxores proprias incontinentia referretur, placuit Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos, ſecundum propria ſtatuta etiam ab uxoribus continere. Quod niſi fecerint, ab Eccleſiaſtico removeantur officio; cæteros autem Clericos ad hoc non cogi, ſed ſecundum uniuſcujuſque Eccleſiæ conſuetudinem obſervari debere.* Multa etiam in antiquis Canonibus de Subdiaconis, Lectoribus, et Cantoribus præſcribuntur, quæ antiquata ſunt, nec

apud nos amplius vigent: ut puta: *Quod non oporteat* (Laodicen. can. 21. 22. 23.) *Subdiaconos habere locum in Diaconio*, *&* *Dominica vaſa contingere*. *Quod non oporteat Subdiaconum uti orario*, *nec oſtia derelinquere*. *Quod non oporteat Lectores*, *aut Cantores orariis uti*, *&* *ita legere*, *vel pſallere*. Orariis enim juxta ritum noſtrum utuntur Subdiaconi, & Lectores: & in Diaconium Subdiaconi admittuntur.

4. Diaconi officium eſt Sacerdoti ad Altare miniſtrare; Eccleſiam, et populum incenſare; Epiſtolam, et Evangelium publice legere; panem, et vinum celebranti ad Altare deferre; Flabellum ad arcenda ab Altari inſecta, et ad Celebrantis, myſteriorumque honorem agitare, Euchariſtiam Diaconis, inferioribus clericis, et populo præbere; Epiſcopo, et Præsbytero abſentibus, etiam ſolemniter baptizare, eiſque permittentibus, prædicare, et concionari ad populum; ab Epiſcopo denique ærario eccleſiaſtico præfici. Ut vero menſuram ſuam Diaconi non excederent, præceperunt Patres, (*Laodicen. can.* 10.) I. quod non oporteat Diaconum coram Presbytero ſedere, ſed juſſione Preſbyteri ſedeat. II. Quod (*Nicen.* 1. *can.* 18.) non audeant Presbyteris gratiam ſacræ communionis porrigere. III. quod (*conſtit Apoſt. lib.* 8. *cap.* 28.) non debeant benedicere, ſeu dare benedictionem, ſed potius illam a Presbytero accipere. IV. quod (*ibid.*) præſente Presbytero non debeant baptizare. V. quod (*ibid.*) non poſſint offerre: oblatione vero a Presbytero, aut Epiſcopo facta, Diaconi dant populo, non tamquam Sacerdotes, ſed tamquam qui miniſtrant Præsbyteris.

5. Diaconiſſæ apud nos ſunt, quæ vel perpetua virginitate ſervata, vel ſecundis repudiatis nuptiis, caſtitatem dicant, et miniſteriis quibuſdam eccleſiaſticis, Epiſcopi benedictione accedente, devoventur: utrumque Diaconiſſarum genus, viduarum ſcilicet, et virginum, in Conſtitution. Apoſtolicis (*lib.* 6. *cap.* 17.) memoratur his verbis. *Diaconiſſa eligatur virgo pudica*. *Sin autem non fuerit virgo*, *ſit ſaltem vidua*, *quæ uni nupſerit*, *&* *fidelis atque honorata ſit*. Et apud S. Epiphanium (*cap. ult.* Panarii

narii) *Illæ quidem* (Diaconiſſæ) *univiræ*, *&* *continentes eſſe debent*, *vel poſt primas nuptias viduæ*, *vel perpetuæ virgines*. De viduis intelligenda ſunt Apoſtoli (1. *Timot*.5.) verba: *vidua eligatur non minus* 60. *annorum*, *quæ fuerit unius viri uxor*. De Virginibus loquitur Concil. Chalcedonen. (*can*.15.) *Diaconiſſam non ordinandam eſſe ante an*:40. *&* *hanc cum ſummo libramine*. *Si vero ſuſcipiens manuum impoſitionem*, *&* *aliquantum temporis in miniſterio permanens*, *ſemetipſam tradat nuptiis*, *gratiæ Dei contumeliam faciens*, *anathematizatur hujuſmodi cum eo*, *qui eidem copulatur*.

Utrarumque officia ſunt, ut muliebri honeſtati, ac pudori in Eccleſia conſulatur. Nam Diaconiſſarum opera neceſſaria eſt, I. Ut Sanctæ portæ, per quas mulieribus ad Eccleſiam patet aditus, ab iis cuſtodiantur, et quo unaquæque ſedeat loco, ſtatuatur II. Ut baptizandas mulieres exuant veſtibus, baptizataſque et ex baptiſterio eductas ſuſcipiant. III. Ut chriſmate, vel oleo nuda earum corpora tam in baptiſmo, et confirmatione, quam in extrema unctione ungant: Defunctas etiam lavent, et ſepeliant. IV. Ut ruſticis, et imperitis mulieribus principia fidei vel baptiſmi ritus exponant. V. Ut negotiis urgentibus mulieres Epiſcopum, vel Presbyterum, vel Diaconum alloqui volentes, Diaconiſſæ tamquam honeſtatis illarum teſtes deducant. VI. Cum de amiſſa integritate virgo Deo ſacrata in ſuſpicionem venit, ut Diaconiſſarum examini, & ſententiæ relinquatur explorandum. VII. Denique, ut earum curæ Moniales in monaſteriis, & tota ſacra cænobiorum virginum ſuppellex committatur.

Quamvis autem Diaconiſſarum officia quoad Sacramenta Baptiſmi, Confirmationis, et extremæ unctionis jamdiu ceſſarint, cum non amplius totius corporis unctiones fiant; durant tamen quoad dicatas in ſacris cænobiis Virgines, quibus Abbatiſſæ præficiuntur. Abbatiſſæ enim Diaconiſſarum benedictionem accipiunt, et munia omnia, quæ illis in Conciliis ſunt conceſſa, exequuntur. Ad Altare tamen accedere, aut communionem

Monia-

Monialibus præbere, etiam in abſentia Presbyteri, aut Diaconi, nullatenus permittuntur. Si quis vero Epiſcopus, præter monaſteriorum Abbatiſſas, Diaconiſſam propter urgentem neceſſitatem ordinare voluerit, mulierem ordinet, cujus de caſtitate, et doctrina ſecundum allegatos canones teſtimonium habeatur, ut poſſit mulieribus in Eccleſia præeſſe, rudioreſque fæminas in iis, quæ ad Sacramenta Baptiſmi, Confeſſionis, et Communionis ſpectant, inſtruere.

6. Exorciſtarum (. *Trident. ſeſſ. 23. Cap. 2. Laodicen. can. 24. & 26. Antiochen. can. 10. Ignat. ep. ad Antiochenos, Epiphan. poſt hæres 80.*) nomen, et miniſterium ab ipſo Eccleſiæ initio fuiſſe cognoſcitur, et apud PP. & CC. diſerte nominantur. Nulla tamen exſtat apud nos peculiaris illorum ordinatio, & tamet ſi in Concilio Antiocheno permittatur Chorepiſcopis Exorciſtas ordinare, et in concilio Laodiceno præcipiatur, ut hi, qui non ſunt ab Epiſcopis ordinati, tam in Eccleſiis, quam in domibus exorcizare non poſſint. In ordinatione tamen Cantoris, non obſcure conceditur ab Epiſcopo poteſtas immundos ſpiritus ab obſeſſis corporibus per manus impoſitionem eiiciendi, ut ſupra dictum eſt. Nemo autem hoc munus exerceat, niſi ſpecialem ab Epiſcopo facultatem obtinuerit, nec Epiſcopus illam concedat, niſi Sacerdotibus, vel in caſu neceſſitatis, Diaconis, qui ea, (*Rituale Rom. de Exorcizan. obſeſſis a dæmone*) qua per eſt, pietate, prudentia, ac vitæ integritate præditi eſſe debent, nec ſua, ſed divina virtute freti, ab omni rerum humanarum cupiditate alieni, tam pium opus ex caritate humiliter exequantur. Sint autem maturæ ætatis, & non ſolum ex officio, ſed etiam morum gravitate reverendi. Ut igitur ſuo munere recte fungantur, in primis ne facile credant Exorciſtæ aliquem a dæmone obſeſſum eſſe, ſed nota habeant ea ſigna, quibus obſeſſus dignoſcitur ab iis, qui vel atra bile, vel morbo aliquo laborant. Signa autem obſidentis dæmonis ſunt, ignota lingua loqui pluribus verbis, vel loquentem intelligere; diſtantia, & occulta patefacere; vires ſupra ætatis, ſeu conditionis naturam oſtendere, & id

id genus alia, quæ quamplurima concurrunt, majora ſunt indicia. Hæc autem, ut Exorciſta magis cognoſcat, poſt unum, aut alterum Exorciſmum interroget obſeſſum, quid ſenſerit in animo, vel in corpore, ut ſciat etiam ad quænam verba magis Diaboli conturbentur, ut ea deinceps magis conculcet, ac repetat. Advertat quibus artibus ac deceptionibus utantur Dæmones ad Exorciſtam decipiendum: Solent enim ut plurimum fallaciter reſpondere, ac difficile ſe manifeſtare, ut Exorciſta diu defatigatus deſiſtat, aut infirmus videatur non eſſe a Dæmonio vexatus. Aliquando poſtquam ſunt manifeſti, abſcondunt ſe, & relinquunt corpus quaſi liberum ab omni moleſtia, ut infirmus putet ſe omnino eſſe liberum: Sed ceſſare non debet Exorciſta, donec viderit ſigna liberationis. Aliquando enim Dæmones ponunt quæcumque poſſunt impedimenta, ne infirmus ſe ſubiiciat Exorciſmis, vel conantur perſuadere infirmitatem eſſe naturalem. Interdum in medio Exorciſmi faciunt dormire infirmum, & ei viſionem aliquam oſtendunt, ſubtrahendo ſe, ut infirmus liberatus eſſe videatur. Aliqui oſtendunt factum maleficium, & a quibus ſit factum, & modum ad illud diſſipandum; Sed caveat, ne ob hoc ad magos, vel ad ſagas, vel ad alios, quam ad Eccleſiæ Miniſtros confugiat, aut ulla ſuperſtitione, aut alio modo illicito utatur. Quandoque Diabolus infirmum quieſcere, & ſuſcipere Sanctiſſimam Euchariſtiam permittit, ut diſceſſus re videatur. Denique innumerabiles ſunt artes, & fraudes Diaboli ad decipiendum hominem, quibus ne fallatur Exorciſta, cautus eſſe debet, quare ſit memor Dominum noſtrum dixiſſe (*Mat.*17.) genus eſſe Dæmoniorum, quod non eiicitur niſi per orationem, & jejunium: Hæc duo potiſſimum remedia ad impetrandum divinum auxilium, Dæmoneſque pellendos, exemplo SS. PP., quoad ejus fieri poterit, tum per ſe, tum per alios curet adhiberi.

In Eccleſiam, ſi commode fieri poteſt, vel in alium honeſtum, & religioſum locum ſeorſum a multitudine perductus Energumenus exorcizetur. Sed ſi fuerit ægrotus, vel perſona nobilis, vel

vel alia honeſta de cauſa, in domo privata exorcizari poterit.

Admoneatur obſeſſus, ſi mente, & corpore valeat, ut pro ſe oret Deum, ac jejunet, & ſacra confeſſione, & communione ſæpius ad arbitrium Sacerdotis ſe communiat: & dum Exorcixatur, totum ſe colligat, & ad Deum convertat, ac firma fide ſalutem ab eo depoſcat cum omni humilitate; Et cum vehementius vexatur, patienter ſuſtineat, nihil diffidens de auxilio Dei. Habeat præ manibus, vel in conſpectu Crucem, Sanctorum imagines, vel reliquias, ubi haberi poſſint decenter, ac tuto colligatas, & coopertas ad caput vel ad pectus obſeſſi reverenter admotas: Sed caveatur ne res ſacræ indigne tractentur, aut illis a Dæmone ulla fiat injuria. Sanctiſſima vero Euchariſtia ſuper caput obſeſſi, aut aliter ejus corpori non admoveatur ob irreverentiæ periculum.

Exorciſta ne vagetur in multiloquio, aut ſupervacaneis vel curioſis interrogationibus, præſertim de rebus futuris, & occultis ad ſuum munus non pertinentibus, ſed jubeat immundum ſpiritum tacere, & ad interrogationes tantum reſpondere; neque ei credatur, ſi dæmon ſimularet ſe eſſe animam alicujus ſancti, vel defuncti, vel Angelum bonum, aut ſi aliquid ſecretum, & occultum de aliis revelet, vel patefaciat.

Neceſſariæ vero interrogationes ſunt, ut de numero, et nomine ſpirituum obſidentium, de tempore, quo ingreſſi ſunt, de cauſa, et aliis hujuſmodi. Cæteras autem Dæmonis nugas, riſus, & ineptias Exorciſta cohibeat, aut contemnat: & circumſtantes, qui pauci eſſe debent, admoneat, ne hæc curent, neque ipſi interrogent obſeſſum, ſed potius humiliter, & enixe Deum pro eo precentur.

Exorciſmos vero faciat ac legat cum imperio, & auctoritate, magna fide, & humilitate, atque fervore: Et cum viderit Spiritum valdè torqueri, tunc magis inſtet, & urgeat; et quoties viderit obſeſſum in aliqua corporis parte commoveri, aut pungi, aut tumorem alicubi apparere, ibi faciat Signum Crucis,

cis, & aqua benedicta aſpergat, quam exorcizando in promptu habeat.

Obſervet etiam ad quæ verba Dæmones magis contremiſcant & ea ſæpius repetat: & quando pervenerit ad comminationem, eam iterum, & ſæpius proferat, ſemper pænam augendo: ac ſi videat ſe proficere, in ipſa perſeveret per duas tres, quatuor horas, & amplius, prout poterit, donec victoriam conſequatur.

Caveat autem Exorciſta, ne ullam medicinam infirmo, vel obſeſſo præbeat, aut ſuadeat; ſed hanc curam medicis relinquat.

Mulierem Exorcizans ſemper ſecum habeat honeſtas perſonas, quæ obſeſſam teneant, dum exagitatur a Dæmonio: quæ quidem perſonæ ſint patienti, ſi fieri poteſt, Cognatione proximæ. atque honeſtatis memor Exorciſta, caveat ne quid dicat, vel faciat, quod ſibi, aut aliis occaſio eſſe poſſit pravæ cogitationis. Dum Exorcizat, utatur Sacræ Scripturæ verbis potius, quam ſuis, vel alienis. Jubeatque Dæmonem dicere, an detineatur in illo corpore ob aliquam operam magicam, aut malefica ſigna, vel inſtrumenta: quæ ſi Obſeſſus ore ſumpſerit, evomat; vel ſi alibi extra corpus fuerint, ea revelet, & inventa comburantur. Moneatur etiam Obſeſſus, ut tentationes ſuas omnes Exorciſtæ patefaciat.

Si verò Obſeſſus liberatus fuerit, moneatur, ut diligenter ſibi caveat a peccatis, ne occaſionem Dæmoni præbeat in ipſum revertendi, ne fiant noviſſima hominis illius pejora prioribus.

Liber Exorciſmorum a Reverendiſſimo D. Patriarcha recognitus, & adprobatus in Rituali Syriaco apponatur: eoque tantum ritu Exorciſta utatur.

7. Archidiaconi Officium eſt, Diaconis cæteriſque minoribus Clericis præeſſe; Evangelium in Eccleſia legere, Paſtoralem Epiſcopi Baculum manu tenere: in contentioſa demum juriſdictione, & regenda Eccleſiæ re temporaria, Miniſtrum, & Vicarium Generalem Epiſcopi eſſe, ejuſque, ut dicitur, oculum, & manum.

manum. Quemadmodum tamen primus inter Presbyteros Archipresbyter, ita primus inter Diaconos Archidiaconus appellatur, & ſicut Archipresbyter non tempore, & antiquitate, ſed electione, & dignitate cæteris Presbyteris præponitur; ſic, & Diaconis Archidiaconus: unde illum non ordinat Pontifex, niſi poſtquam filii Eccleſiæ, & filii Diæceſeos conſenſum ſuum ſcripta manu ſignatum tradiderint: poſtulatur enim a Clericis, & plebe, ab Epiſcopo tamen eligitur, & conſecratur. Cum vero Archidiaconus ſine Diaconis eſſe nequeat, ideo cavendum eſt, ne Archidiaconi paſſim, & ſine delectu ordinentur, ſed unus tantum in Cathedrali Eccleſia ordinandus eſt, qui ſit proprius Epiſcopi Archidiaconus, & alii in unaquaque terra, vel Caſali, qui Clericis ejuſdem loci præſideant: noverit autem Archidiaconus menſuram ſuam ſervare; nam in Eccleſia noſtra Diaconis, non Presbyteris præeſt, eo quod ad Archidiaconatus dignitatem Diaconos, non Presbyteros promoveamus, unde Patres præceperunt (*Conc. Trullan.c.7.*). *Quoniam in nonnullis Eccleſiis Diaconos officia Eccleſiaſtica habere didicimus, & ex hoc nonnullos eorum arrogantia, & licentia fretos ante Presbyteros ſedere; ſtatuimus, ut Diaconus, etiamſi in dignitate, ideſt in quovis officio Eccleſiaſtico ſit, ante Presbyterum non ſedeat, præterquam, ſi proprii Patriarchæ vel Metropolitani vicem gerens adſit in alia civitate ſuper aliquo capite: tunc enim ut locum illius implens honorabitur:* Qui vero circumferuntur nomine Nicæni concilii canones, Archidiaconos tamquam Sacerdotali ordine inſignitos Chorepiſcopis, Archipresbyteris, Periodeutis, & Presbyteris præferunt. *Stet Epiſcopus* (*can. arab. juxta Turrian. 57. juxta Ecchellen.62.*) *in oratione in fronte templi ad medium Altaris, ut Paſtor, & Gubernator; poſt illum vero ad latus dexterum ſtet Archidiaconus, ut ejus Vicarius, & omnibus eleemoſynis, & Eccleſiæ rebus, & negotiis præfectus. Porro Chorepiſcopus ſtet item poſt Archidiaconum ad latus ſiniſtrum Epiſcopi, quia ipſe Vicarius Epiſcopi eſt ſuper Pagos, Monaſteria, & Pagorum Sacerdotes, qui in ejus ſunt poteſtate. Archipresbyter vero*

ro, qui eſt Protopapas, ſtet etiam prope Epiſcopum, & Epiſcopo abſente ſit loco illius, & præfectus quoque omnibus Presbyteris, qui illius Eccleſiæ ſubſunt poteſtati. Neque mirum, quia Archidiaconi ſunt, & ipſi Presbyteri apud Syros Orientales, ut ex eorum Pontificali colligitur, adeoque dant illis poteſtatem conſecrandi Altare ſine chriſmate, utque præſint in choro, & incipiant, & abſolvant divinum officium, & Pedum Paſtorale Epiſcopi teneant; utque præſint omnibus (*can. arab. 60. Secundum Turrian. 65. Secundum Ecchellenſem*) quæ ad orationem, & Eccleſiam ſpectant: lites, & controverſias Diaconorum dirimant; & nemo ad Clerum ab Epiſcopo ſine illis promoveatur. Apud alios vero, etiamſi Archidiaconi ad Presbyteri ordinem promoti non ſint, Presbyteris tamen, & Archipresbyteris, quin, & Epiſcopis ipſis præcedunt, ut in Eccleſia Romana (*Extravag. de officio Archidiaconi*) & Conſtantinopolitana (*Morin. de Sacr. ord. exercit. 16. cap. 3. Habertus in Pontific. Græcor. pag. 206. Thomaſinus de nova, & vet. Eccl. diſciplina P. 1. l. 2. a cap. 17.*) mos eſt. Nos vero antiquum ritum ſervantes, nec Archidiaconatu Presbyteros ornamus, nec Archidiaconos Presbyteris, multoque minus Epiſcopis præcedere permittimus.

8. Oeconomum e Clero eligi debere, penes quem bonorum Eccleſiæ unacum Epiſcopo adminiſtratio ſit, ſacri canones diſerte præcipiunt. Antiochenus (*can. 24.*) *Rectum habet, ut ea quæ ſunt Eccleſiæ, ſerventur cum omni bona conſcientia, & fide in omnium præſidem, & Judicem Deum: Quæ etiam adminiſtrare convenit cum judicio, & poteſtate Epiſcopi, cui eſt omnis populus creditus, & eorum animæ, quæ in Eccleſiam conveniunt. Sint autem manifeſta, quæ ad Eccleſiam pertinent cum cognitione Presbyterorum, & Diaconorum, qui ſunt circa eum, ut ſciant, & non ignorent, quæ ſunt propria Eccleſiæ, ut nihil ipſos lateat.* Chalcedonenſis (*can. 26.*). *Quoniam in nonnullis Eccleſiis, ut ſæpe a nobis auditum eſt, Epiſcopi abſque Oeconomo tractant res Eccleſiæ, placuit, omnem Eccleſiam Epiſcopum habentem, ex proprio Clero Oeconomum habere: ut nec ſine teſtibus ſit Eccleſiæ adminiſtra-*

niſtratio, nec ideo res ejus diſſipentur, & probrum ac dedecus Sacerdotio inuratur. Hinc in Canonibus (*63. &* 80. *ſecundum Turrian. 65. &* 84. *ſecundum Ecchellenſem*) Arabicis præcipitur. *Ut ſit in unaquaque Eccleſia Oeconomus, & cum eo alii, qui habeant curam proventuum, & agrorum; & alii villarum, & ſumptuum quotidianorum: alii frumenti, & leguminum: alii vaſorum auri, & argenti, & veſtimentorum, ac ornamentorum Eccleſiæ: alii habeant curam loci, in quo Sancta Euchariſtia ſervatur*: Et in Eccleſia Conſtantinopolitana magni Oeconomi (*Goar in Euchol. Græcorum p. 268.*) officia ſunt. *Ut ſit diaconus: cum autem celebrat Pontifex, ornatus ille ſua tunica, & ſtola, ſtat ex dextera parte dictæ menſæ, ſacrum flabellum manu ſua tenens; offert quoque clericum ordinandum Pontifici, omnem quoque agrum poſſeſſionemque Eccleſiæ diſquirit, cenſus, expenſas, ratiocinia de omni re, quam Epiſcopus poſſidet, & habens ſub ſe Chartularium, cuncta illa recenſet*. Et bis ſingulis annis, de omnibus ad Pontificem rationem refert: & viduatæ Epiſcopo Eccleſiæ ipſe curam habet, omnia ejus bona uſque ad alterius adventum adminiſtrans: in electione Epiſcopi habet Suffragium: Adeſt inſuper in judiciis ferendis: & tandem debitas contributiones ex annuis Epiſcopatus bonis fratribus ſuis ex æquo dividit. Sunt, & aliæ Diaconorum (*officiales Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ex Codino, & ex cod. Allatiano, vid. Goar. in Euchol. Græc. poſt ordin. Diaconi*) dignitates in eadem Eccleſia Conſtantinopolitana; quibus a Patriarcha committuntur ſacra vaſa, ſcripturæ ad Eccleſiam ſpectantes, monaſteria virorum, monaſteria mulierum, veſtimenta ipſius Pontificis, ejuſque ſigillum. Sed præter Archidiaconi, & Oeconomi benedictiones, in Euchologio nullæ aliæ occurrunt. Cum vero apud nos Oeconomus non alius ſit ab Archidiacono, ideo tam ejus officia, quam benedictio inde ſunt petenda. Eorum vero conſuetudinem non probamus, qui viros (*In Pontif. Syrorum Jacobitar.*) ſeculares eligunt, ut Oeconomi Eccleſiæ fiant, eoſque eodem officio, quo Cantores, ordinant, ſeu benedicunt, tradentes eis poteſtatem ingrediendi Altare, & omnes quidem

ora-

orationes ſuper illos recitantes, præterquamquod nec eis liber Pſalmorum geſtandus traditur, nec ad oſculum Altaris admittuntur, aut Sacramenta ex altari percipiunt. Nihil enim obſtat, quominus, ſi digni ſint, ut res Eccleſiæ adminiſtrent, nec ſufficiens ad hæc munera Diaconus haberi poſſit, minoribus ſaltem ordinibus initientur.

CAPUT III.

De Presbytero, Parocho, Periodeuta, Archipresbytero, & Chorepiſcopo.

1. SAcerdotis ſeu Presbyteri officium eſt, corpus, & ſanguinem Domini conſecrare, a peccatis pænitentes abſolvere, ſacram communionem fidelibus porrigere, baptizare, infirmos Sacro Oleo inungere, pro vivis, & defunctis in Eccleſia publice orare, benedicere, prædicare, & præeſſe; ſunt autem Presbyteri in Dei Eccleſia, quales olim 70. Senes a Moyſe, & 70. Diſcipuli a Chriſto Domino electi: ut ſcilicet in adiutorium Moyſis, & 12. Apoſtolorum, Epiſcoporum videlicet Catholicorum, qui per Moyſen, & Apoſtolos figurantur, operam ſuam in Eccleſia impendant. Quamvis autem Presbyteri in ſua ordinatione poteſtatem adminiſtrandi, & conficiendi Sacramenta accipiant, ſic tamen Epiſcopo ſubjecti eſſe debent, ut (*Laodicen. can.* 57.) nihil præter ejus conſilium, & voluntatem agant: ac præſertim in iis, quæ ad curam animarum ſpectant, & in adminiſtratione Sacramenti pænitentiæ, cum nullus Presbyter (*Trid. ſyn. ſeſſ.* 23. *cap.* 15.) etiam regularis, poſſit confeſſiones ſecularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneus reputetur, niſi aut Parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut alias idoneus judicetur, approbationem obtineat: & in ipſo quidem Eccleſiæ initio, eo quod pauci eſſent Epiſcopi ac Presbyteri, neceſſe fuit, ut alicubi ſolus Epiſcopus ſine Presbytero, & alicubi ſolus Presbyter ſine alio-

aliorum Presbyterorum opera, & auxilio, populum Dei regerent atque Sacramentis reficerent. Creſcente vero fidelium numero, etiam Presbyteri aucti ſunt, & diverſa illis munera ab Epiſcopis commiſſa; nam alii certos titulos tum Ruſticos tum Urbanos, quos Patres noſtri Parœcias dixerunt, regendos acceperunt, unde Parochi ſunt appellati: alii Epiſcopis adſtantes, Presbyteris miniſtriſque in Urbe commorantibus præfecti fuere, quos Archipresbyteros Urbanos appellamus: alii in vicis, & Pagis tamquam Epiſcoporum Vicarii ſunt conſtituti, quos Chorepiſcopos, ſeu Rurales Archipresbyteros dicimus: aliis demandata fuit cura conſtitutas per amplam Epiſcopi Diæceſim Parœcias rurales viſitandi, & adminiſtrandi, quibus Periodeutarum, ideſt circumcurſantium, ſeu viſitatorum nomen impoſitum: alii denique ſibi ipſis attendentes, Eccleſiæ alicujus ſine animarum ſervitio ſunt dicati, quos cum ſoli ſint, Rectores Eccleſiarum; cum multi in collegium cooptati, Canonicos nuncupamus.

2. Parochi, qui, & Plebani, & Curati dicuntur, ſi ad originem, & inſtitutionem ſuam reſpiciant, facile intelligent, proxime poſt Epiſcopum, cujus ſunt adiutores, ſuam poſitam dignitatem. *Sicut enim* (*Beda in Evangel. luc. l. 3. c. 10.*) *duodecim Apoſtolos formam Epiſcoporum exhibere ſimul, & præmonſtrare nemo eſt, qui dubitet, ſic, & 72. Diſcipulos figuram Presbyterorum, ideſt, ſecundi generis Sacerdotum geſſiſſe ſciendum eſt; tametſi primis Eccleſiæ temporibus, ut Apoſtolica ſcriptura, teſtis eſt, utrique Presbyteri, utrique vocabantur Epiſcopi: quorum unum Sapientiæ maturitatem, alterum induſtriam curæ Paſtoralis ſignificat.* Semper enim, & ubique poſt propagatum Evangelium extiterunt Paſtores inferiores, qui ſub Epiſcopis Urbium, & pagorum Eccleſias rexere; quemadmodum teſtatur Apoſtolus ſcribens ad Titum (*cap. 1.*) *Reliqui te Cretæ, ut conſtituas per civitates Præsbyteros.* Et in frequentioribus quidem civitatibus plures Eccleſias fuiſſe, quibus ſingulis ſuus, ſed ſub Epiſcopo, Presbyter præeſſet, ex PP., & Conciliis compertum eſt. Sed aucta fidelium multitudine (*can. 1. & ſeqq. diſt. 80. can. Eccleſias 13.*

q. 1.

*q.*1.) cum unus ſuſtinendo oneri non ſufficeret, plures in ſingulis Paroeciis Presbyteros conſtituere oportuit, quibus tamen, ne qua oriretur confuſio, unus praeeſſet, qui proinde Rector, ſeu Archipresbyter dictus fuit.

I. Præcepto divino (*Trid.ſeſſ.*23. *cap.*1.) mandatur Presbyteris Parochialibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium offerre, & illas verbi divini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omnium operum exemplo paſcere, Pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, & in cætera munia Paſtoralia incumbere, idque per ſe ipſos præſtare tenentur, non per ſubſtitutos, niſi legittime impediti fuerint, quemadmodum docet ſacra (*ſeſſ.*5. *c.*2.) Tridentina Synodus: „ Archipresbyteri „ quoque, Plebani, & quicumque Parochiales, vel alias curam animarum habentes, Eccleſias quocumque modo obtinent, per ſe, vel alios idoneos, ſi legittime impediti fuerint, diebus ſaltem (*Trullan. can.* 19.) Dominicis & feſtis ſolemnibus, plebes ſibi commiſſas pro ſua & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis, docendo ea, quæ ſcitu omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem. Id vero ſi quis eorum præſtare negligat, provida Paſtoralis Epiſcoporum ſollicitudo non deſit, ne illud impleatur: Parvuli (*Jerem. Thren.* 4.) petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. „ Itaque ubi ab Epiſcopo moniti, trium menſium ſpatio muneri ſuo defuerint, per Cenſuras Eccleſiaſticas, ſeu alias ad ipſius Epiſcopi arbitrium cogantur, ita ut etiam, ſi ei ſic expedire viſum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri, qui id præſtet, honeſta aliqua merces perſolvatur, donec principalis ipſe reſipiſcens Officium ſuum impleat.

II. Quum Apoſtolus eos moneat, quos Spiritus Sanctus (*Act.* 20.) in grege ſibi credito poſuit regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit Sanguine ſuo, ut in omnibus (*Timoth.* 4.) laborent & miniſterium ſuum impleant; implere autem illud nequaquam poſſint; ſi greges ſibi commiſſos mercenariorum

more

more deſerant, atque ovium ſuarum, quarum Sanguis d eorum eſt manibus a ſupremo Judice requirendus, cuſtodiæ minime incumbant: ſciant Parochi (*Trident. ſeſs.* 25. *cap.* 1.) ſe teneri ad reſidentiam in Parochia: a qua nullo pacto abeſſe poſſunt, niſi cum licentia Epiſcopi in Scriptis & ex gravi cauſa, & ſubſtituto Vicario idoneo ab ipſo Epiſcopo approbato; nec licentiam huejuſmodi poteſt Epiſcopus ultra duos Menſes concedere. Quod ſi aliquando abeſſe cogantur ob urgentem aliquam neceſſitatem, curent, ut per alium Sacerdotem, qui partes eorum expleat, divina Officia Dominicis & feſtis diebus omnino obeantur; vel ſaltem, ſi copiam Sacerdotis nullam habuerint, prima die Dominica populo denuncient ſeſe abfuturos, ut in viciniori Eccleſia divinis Officijs intereſſe poſſit. Nemini autem Parocho abeſſe liceat, non relicto ſubſtituto alio Sacerdote, neque per paucos Dies, ubi conſtet eſſe aliquos in populo, qui Sacramentorum perceptione indigeant. Si enim ultra tres hebdomadas Clerici in civitate vel pago agentes, & ſine gravi cauſa ad Eccleſiam non convenientes, ab Epiſcopo graviſſime plectendi (*Concil. Trullan. can.* 70.) jubentur; quanto magis puniendus erit Parochus, ſi diebus feſtis ob ipſius negligentiam divina omittuntur Officia? Ut igitur promtiores Subditis ſuis omni caſu accurrant, Parochi in ædibus Parochialibus ipſius Eccleſiæ habitent. Quod ſi Eccleſia ædes non habeat, nunquam extra fines Parochiæ habitent ſub gravioribus pœnis arbitrio Ordinarij. Quod extenditur (*con. Mediolan IV.*) etiam ad ſocios & ſubſtitutos ſeu coadjutores neceſſarios: Qui ſi in ædibus Parochialibus habitare omnes nequiverint, aptior ex iis judicio Epiſcopi ibi habitet, alter in alia Domo.

III. Ita diſtinguantur (*Trident. ſeſs.* 24. *cap.* 13.) ab Epiſcopo Eccleſiæ Parochiales, ut unaquæque habeat proprium Parochum: & ubi (*Seſs.* 21. *cap.* 4.) populus eſt numeroſus cui unus non ſufficiat Rector, adjungantur alij quot ſufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum Divinum celebrandum, quibus compe-

competens aſſignetur portio arbitrio Epiſcopi vel ex fructibus ipſius Parochiæ, ſi pluribus Parochis ſuſtentandis ſatis ſint, vel ſi eſt neceſſe, compellatur populus ad ea ſubminiſtranda, quæ ad vitam dictorum Sacerdotum ſuſtentandam ſufficiant. Idem dicendum de iis locis, in quibus ob diſtantiam a Parochia, non ſine magno incommodo Parochiani ad percipienda Sacramenta, & Divina Officia audienda accedere poſſunt: Epiſcopus enim novas Parochias, etiam invitis Parochis, conſtituere poteſt, & competentem portionem novis Parochis, ut ſupradictum eſt, aſſignare. Ubi vero (*Trid. ſeſs.* 24. *cap.* 13.) fructus Parochialium Eccleſiarum adeo exigui ſunt, ut debitis nequeant oneribus ſatisfacere, curet Epiſcopus per beneficiorum, non tamen Regularium, unionem, aut primitiarum vel decimarum aſſignationem; aut per Parochianorum ſymbola ac collectas, aut qua commodiori ei videbitur ratione, tantum redigi, quod pro Rectoris aut Parochiæ neceſſitate decenter ſufficiat. Quæ vero Parochiæ dotem non habent ſufficientem, illis (*Later. IV. can* 3.) non provideatur de Parocho, quouſque ab ijs, quorum intereſt, congrue dotatæ non fuerint. Bona autem (*Cap.* 1. *de Cens.*), quæ pro Parochorum ſuſtentatione conferentur, non admittantur, niſi prævia exemptione ab omnibus oneribus, quæ per ipſos bonorum Dominos quoquo modo imponi ſolent, aut alijs perſolvebantur.

IV. Ut officij ſui partes Parochus explere poſſit, libros tum dirigendis animabus, tum Sacramentis adminiſtrandis neceſſarios habeat, præſertim vero Rituale Syriacum, Catechiſmum, ſummam aliquam Theologiæ moralis, & librum concionibus accomodatum, nec non Synodales has noſtras Conſtitutiones; quas, poſtquam impreſſæ fuerint, diſtribui quam primum curabimus.

V. Præter libros Sacriſtiæ & Chori uſibus neceſſarios, ut ſunt, Miſſale, Officium Feriale, Officium de tempore, Officij Sanctorum Pars Hyemalis & æſtiva, Synaxarium, Lectiones Epiſtolæ & Evangelij per annum; habeant etiam Parochi bene

compactos libros ad rectam Parochiæ adminiſtrationem neceſſarios: in quorum primo *Baptizati*: in ſecundo *Confirmati*: in tertio *Sponſalia*; in quarto *Matrimonia*: in quinto *Status & numerus animarum*: in ſexto *Defuncti* totius Parochiæ deſcribantur. Atque hos quidem libros tam a ſe confectos, quam a prædeceſſoribus ſuis, religioſe ſub clavi cuſtodiant, nec inſpici, aut legi ab aliis, niſi ſe præſentibus & attente obſervantibus, permittant. Qui deinceps eosdem libros non habuerint, pœna pecuniaria in commodum Eccleſiæ eroganda arbitrio Epiſcopi plectantur. In Archivio autem Parochiali, quod erigi mandamus, diligenter recondant & aſſervent, non modo ſupradictos libros; ſed etiam quæcumque Inſtrumenta, Donationes, Legata, Inventaria; Viſitationis decreta, onera, privilegia, Indulgentiarum diplomata, Reliquiarum autentica Teſtimonia, omniaque ejuſmodi jura ad Eccleſiam quomodocumque pertinentia.

VI. Templi, Altarium, & Sacræ ſuppellectilis nitor ac munditia in Eccleſiis Parochialibus ut cum maxime curanda eſt. Si quod Altare vel templum de jure patronatus ſit, de illius cultu Patroni admoneantur; qui ſi negligant, ad Epiſcopum deferant Parochi. Quæ vero de ſanctiſſimæ Euchariſtiæ decore ornatuque præcepimus, ac de ſacrorum Oleorum, & fontis Baptiſmalis cuſtodia, diligenter ſervanda iterum Parochis commendamus.

VII. Aquam Luſtralem ſemel ſaltem in menſe renovatam in fontibus mundis ad Eccleſiæ januas ſemper ſervent, illiusque aſperſione Domos fidelium expient. Idem ſolemniori ritu faciant in Epiphania Domini, & in feſto Paſchatis, in quo ova etiam, aliaque comeſtibilia ante fores Eccleſiæ, vel in privatis domibus, & domos ipſas benedicant juxta Eccleſiæ ritum: nec non puerperas poſt partum tam in domo, quam in Eccleſia, & puerum ſeptima poſt Baptiſmum die: quæ omnia nemo Sacerdos, ſive ſæcularis ſive Regularis, niſi de licentia Parochi, præſtare poſſit.

VIII. Hæredes, Conſanguinei, affines, aut quicumque

Paro-

Parochorum Domeſtici, qui vel defuncto, vel ægrotante Parocho, ab ejus domo amovent, vel amoveri faciunt aliquid ad Eccleſiam Parochialem pertinens: nec non incidentes, vel incidi facientes arbores in Eccleſiæ prædijs exiſtentes, vel illas, aut prædium ad Eccleſiam ſpectans occupantes, ipſo facto ſint excommunicati.

IX. Laudabiles Eccleſiæ ſuæ conſuetudines, quæ vigent, & officia omnia Eccleſiaſtica, quæ per annum juxta Ritum noſtrum Syriacum præſcribuntur, accurate ſervare, & implere Parochi ſtudeant. Novos autem Ritus, vel nova pietatis exercitia in Eccleſiam introducere, ſine expreſsa Epiſcopi facultate non præſumant; quam certe Epiſcopus non denegabit, ut eſt publica Roſarii B. Virginis Mariæ cum cantu in Eccleſiis recitatio, aut proceſſio, & alia ejuſmodi, dummodo Miſsa ſolemnis, & divina officia tum veſpertina, tum nocturna, & matutina non intermittantur, neque impediantur.

X. Sit Parochus choro aſſiduus, & cum fratribus Sacerdotibus alijſque Clericis non imperioſe, non inſolenter, ſed humiliter & moderate agat. Campanæ vel tintinnabuli ſonitu Miſſam & divina Officia tempore ſuo curet indicare. Primum ipſe in Choro locum obtineat, niſi ſuperior illo adſit, aut niſi urbanitatis gratia locum peregrinis Sacerdotibus cedat. Parochiales functiones per ſeipſum expleat, vel, ſi neceſſitate legitima impeditus fuerit, Sacerdoti perito id munus committat. Et præter quotidianam Horarum Canonicarum & ſacræ Liturgiæ celebrationem, nihil earum functionum omittat, quæ per annum in Rituali præſcribuntur, ut nimirum, Benedictio Aquæ in die Epiphaniæ: Benedictio, & diſtributio Palmarum: Officium, quod adventus in Portum vocatur, fitque poſt tertium nocturnum feriæ ſecundæ in majori hebdomada: Officium Ablutionis pedum in feria V. majoris hebdomadæ. Adoratio Crucis feria VI. majoris hebdomadæ: Officium indulgentiæ, ſeu reconciliationis in Sabbato ſancto: Proceſſio Crucis in Dominica reſurrectionis: Ordo Pacis in eadem Dominica: Ordo Genuflexionis in

Dominica Pentecoſtes. Nuptias ipſe Parochus benedicat, & ſponſalia. Pueros baptizet: Infirmos Oleo ſacro inungat. Mortuis exequias celebret. Communionem tempore Paſchali ſubditis porrigat. Confeſſiones audiat, niſi alii Sacerdotes ab Epiſcopo approbati in Parochia adſint. Proceſſionibus præſit, quæ in Feſtis Sanctorum per Eccleſiam Parochialem fieri ſolent; & ſolemni populi convivio, quod in ſolemnitatibus Sanctorum, vel in exequiis defunctorum apparari mos eſt, ipſe benedicat.

XI. Provide invigilent Parochi, & videant, an in ſuis Parochiis verſentur publice criminoſi, ut ſacrilegi, non confeſſi, non communicantes, blaſphemi, concubinarii, Uſurarii, invaſores bonorum Eccleſiæ, morum corruptores, aut alteri gravi culpæ notorie obnoxii: hos primum moneant paterna charitate: mox Sacerdotali conſtantia objurgent: demum dicant Epiſcopo, ut perditas oves ad ovile reducat. Sint autem animarum rectores, bonæ pacis cultores ſtudioſiſſimi: Et ſi quas naſci lites, rixas, odia, aut jurgia inter Parochianos noverint, ſtatim ſopire, componere & extinguere conentur. Ipſi autem a litibus, jurgiis, detractionibus, murmurationinibus, inimicitiis, quam longiſſime abſint: Sacerdotes enim omnes, & potiſſimum Parochos, non oportet (1. *Timoth.* 3.) litigioſos eſſe, aut lucri cupidos. Quod ſi pro Parochialibus juribus, aut decimarum exactionibus controverſias oriri contigerit, Epiſcopum adeant, ut abſque judicii forma, rei tantum veritate inſpecta, urgeatur ſolutio, & lis pacifice dirimatur. Nunquam proſiliant ad mutuas contentiones & injurias, aut ſecum ipſi, aut cum laicis: multoque minus ad percuſſiones: alioquin graviter ab Epiſcopo plectantur pro ratione facti, præter partis læſæ ſatisfactionem. Parochianorum ſuorum amorem & venerationem, non domos aut officinas frequentantes, ſed omnes paterna charitate complectentes, omneſque in neceſſitatibus adjuvantes, in afflictionibus conſolantes, ſibi concilient. Adoleſcentes, qui ætate & judicio pollent, in Doctrina Chriſtiana ſufficienter inſtruant, & inſtructos ad uſum Sacramentorum Pœnitentiæ

tentiæ & Euchariſtiæ hortentur. Infirmos decumbentes, & diuturnis infirmitatibus languentes non negligant ſæpius viſitare, & ſemel ſaltem in menſe ſacra Communione reficere. Nullum ſine Sacramentis decedere permittant. Præcepta vero Eccleſiæ, tam quoad jejunia, quam quoad ceſſationem ab opere ſervili & auditionem Miſſæ, divinorumque Officiorum in diebus feſtis & Dominicis, Euhariſtiæ perceptionem tempore Paſchali, & ſolutionem decimarum Prælatis Eccleſiæ, ab omnibus ſervari curent.

3. Qui accepta ab Epiſcopo poteſtate ſuper Parochos, eorumque Clerum, & populum per Urbes, & pagos invigilarent, Vicarii quidem Epiſcoporum omnes dici poſſunt, ſed diverſa illi ſecundum diverſas Eccleſias nomina, & juriſdictionem ſortiti ſunt.

I. In Eccleſia Romana alii ſunt Vicarii Generales Epiſcoporum, alii Vicarii foranei, & alii Officiales: iſti Epiſcoporum vices gerunt in cauſis, quæ ad Juriſdictionem contentioſam ſpectant: primi duo in cauſis, quæ ad juriſdictionem gratioſam, & voluntariam pertinent: ſed Vicarius generalis (*de off. vic. in 6. cap. 2. de off. ordin. in 6. Clement. 2. de Reſcriptis*) in Urbe apud Epiſcopum, Vicarius foraneus in vicis, & pagis: unde arbitraria eſt Vicariorum inſtitutio, & pro libito poſſunt illi ab Epiſcopo amoveri, eoq. ſuſpenſo, vel defuncto, illorum juriſdictio ſuſpenditur, & expirat; ſecus vero Officiales, ſtabili nempe perpetuoq. gaudent Officio.

II. In Eccleſia Orientali Epiſcopus in Urbe habet Vicarium, qui Protopapas Protopresbyter, Archipresbyter, & a nobis *Churi* appellatur; in ſingulis vicis, & pagis, Chorepiſcopos conſtituit: Periodeutas autem ſeu circumcurſatores, atque viſitatores ordinat, quorum cura eſt vicos omnes, & pagos circumobire, & cunctos ad rectæ vitæ ſanæque doctrinæ normam efformare. Horum autem dignitas perpetua eſt, quia per manus impoſitionem traditur, tametſi propter delictum ſuſpendi poſſint ab officio & amoveri.

III. Periodeutæ ex eo dicti ſunt, quod nullibi propriam ſedem habent,

habent, ſed huc, & illuc per pagos, & vicos fidelibus in officio continendis vagentur. Sunt autem apud nos Periodeutæ, qui hodie apud Græcos Exarchi vocantur; hi enim circumcurſant, & delicta animarum obſervant, & fideles in ordine componunt. Differunt apud nos a Chorepiſcopis, tum quia Chorepiſcopi propriam ſedem habent in pagis, & villis; Periodeutæ vero nullibi reſident, ſed huc, & illuc totam diæceſim Epiſcopi, ideſt, excepta Urbe, per pagos, & villas excurrunt: tum quia Chorepiſcopi, præter curam, quam Cleri, Monachorum, populiſque villæ ſuæ ſive pagi, gerunt, habent inſuper poteſtatem ordinandi Clericos minores, ut ſupra dictum eſt; qua poteſtate Periodeutæ carent: tum demum, quia Periodeutes unam Crucem in manu defert, nec Mitram in Capite gerit, at Chorepiſcopus binas Cruces defert, & Mitram in capite geſtat. Conveniunt tamen Periodeutæ, & Chorepiſcopi in poteſtate conſecrandi baptiſteria, dedicandi Eccleſias, & Altaria, Chriſmate populos poſt baptiſmum conſignandi, ſubjectoſque ſibi Clericos & Monachos in officio continendi.

4. De Chorepiſcopis hæc decernit Canon Antiochenus (10): *Ii, qui ſunt in vicis, vel pagis, qui dicuntur Chorepiſcopi, etiamſi Epiſcopi ordinationem manuumve impoſitionem acceperint, viſum eſt, ut ſuum modum ſciant, & ſibi ſubjectas Eccleſias miniſtrent; earumque cura, & ſollicitudine gerenda contenti ſint. Conſtituant autem Lectores, Hypodiaconos, & Exorciſtas, & eorum promotionem ſufficere exiſtiment, nec Presbyterum, nec Diaconum Ordinare audeant abſque Urbis Epiſcopo, cui ſubiicitur ipſe, & regio. Si quis autem ea quæ definita ſunt, tranſgredi audeat, ipſe quoque deponatur ab eo honore, quem habet. Fiat autem Chorepiſcopus ab Epiſcopo civitatis, cui ſubiicitur*. Canon vero (14). Concilij Nicæni II. Lectores promovendi poteſtatem Chorepiſcopis concedit.

I. Duplex enim Chorepiſcoporum genus in noſtra Antiochena Eccleſia fuiſſe novimus: alii ſimplices Chorepiſcopi, qui præter minores ordines, nullos alios dare poterant, neque approban-

probante Urbis Epiſcopo, uti ſunt hodie noſtri Chorepiſcopi: Et alii veram Epiſcopalem ordinationem acceperant, vel ex Epiſcopali dignitate ob delicta excidentes, nomine Chorepiſcoporum, & muneribus gaudebant: qui conſentiente Urbis Epiſcopo poterant diaconos, & Presbyteros ordinare. Utraque poteſtate carent Periodeutæ, de quibus eſt canon (57.) concilii Laodiceni. *Quod non oportet in vicis, & pagis Epiſcopos conſtitui, ſed Periodeutas, hoc eſt circumcurſatores. eos autem, qui prius conſtituti fuerunt, nihil agere ſine mente Epiſcopi, qui eſt in civitate.* Hinc Periodeutarum, & Chorepiſcoporum diſcrimen, & antiqua apud noſtros inſtitutio, quos tamen Syri Orientales, & Græci pro una eademque nunc dignitate accipiunt, nec aliam utriſque poteſtatem concedunt, quam ut ſubjectas ſibi Eccleſias & Monaſteria viſitent, deque moribus, & fide uniuſcujuſque inquirant, & (quod Sacerdotibus omnibus Parochis, adeoque Periodeutis ipſis & Chorepiſcopis commune eſt) Sacramentum confirmationis immediate poſt Baptiſmum conferant. Nos autem noſtris Periodeutis & Chorepiſcopis antiqua omnia privilegia confirmamus; ſic tamen, ut Ordinum minorum collationes facere & Sacramentum confirmationis conferre non audeant, niſi ex ſpeciali Reverendiſſimi D. Patriarchæ facultate.

II. Etſi in diverſis pagis, & vicis unjus ejuſdemque Epiſcopalis diæceſis plures inſtitui poſſint Chorepiſcopi, non alibi tamen Ordinentur, quam ubi frequentes ſunt Vici, & pagi, & non exiguus Presbiterorum numerus. Periodeutam vero, & Archipresbyterum, ſeu Protopapam unum tantum unuſquiſque Epiſcopus in ſua diæceſi, vel civitate habeat, eo quod hic quidem omnibus civitatis Presbyteris præeſt, Periodeuta vero non ad unum, vel duos, ſed ad omnes diæceſis pagos, vicosque viſitandos deſignatur. Si quis autem Epiſcopus vel plures Periodeutas, & Archipresbyteros Urbicos in ſua diæceſi, vel aliquem Periodeutam, Archipresbyterum Urbicum, vel Ruralem ſeu Chorepiſcopum pro aliena diæceſi ſine illius ordinarii licen-

tia

tia ordinaverit; ipſe quidem ad certos dies a pontificalibus arbitrio Reverendiſſimi D. Patriarchæ ſuſpendatur; ordinatus vero in perpetuum ab executione dignitatis, quam accepit, ſuſpenſus maneat.

III. Solius eſt Reverendiſſimi D. Patriarchæ privilegium, ut poſſit nonnullos per manus impoſitionem ordinare Periodeutas, Archipresbyteros, aut Chorepiſcopos ad titulum pagorum, ſeu Eccleſiarum, vel diæceſeon, quæ aliquando in Antiocheno ſuo Patriarchatu extiterunt; nunc autem dirutæ ſunt, aut fidelibus abitatoribus carent. Eo autem titulo non quoſcunque honoret, ſed illos Eccleſiaſticos, qui in Patriarchali Eccleſia deſerviunt, aut ipſi Reverendiſſimo D. Patriarchæ miniſtrant.

IV. Præſente Epiſcopo, neque Archipresbyter, nec Chorepiſcopus, aut Periodeuta, facultatibus, quas in ordinatione acceperunt, utantur, aut Cruces in manu deferant, vel Mitram in capite geſtent, niſi expreſſam ab ipſo habuerint licentiam. Abſente autem Epiſcopo, tum Archipresbyter in Cathedrali, tum Chorepiſcopus in ſuo pago, in diebus ſolemnibus, & feſtis primum in choro locum habeant; & Mitram etiam gerant, modo ſedeant in medio gradu infra gradum Epiſcopi. Cum vero ſimul inter ſe, aut coram Epiſcopo conveniunt, præcedit Archipresbyter Urbicus, ſequitur Chorepiſcopus. Et tertium locum occupat Periodeuta. Sic enim de Presbyteris pagorum, & Civitatis præſcribit Canon (13.) Neoceſareenſis. *Presbyteri ruris in Eccleſia civitatis, Epiſcopo præſente, vel Presbyteris Urbis ipſius, offerre non poſſunt, nec panem ſanctificatum dare, Calicemque porrigere. Si vero abſentes hi fuerint, & ad dandam Orationem vocentur, ſoli dare debebunt.*

V. Qui monaſticam vitam amplecti voluerint, ſi fuerint ordinati Periodeutæ, aut Archipresbyteri, vel Chorepiſcopi, debent primum in manibus Epiſcopi ſuas dignitates abdicare: tum vero non poſſunt amplius eo nomine appellari, aut inſigniis, & facultatibus uti, neque in Monaſterio, neque extra Monaſterium. Illum autem abuſum omnino tollendum præcipimus,

mus, quo nonnulli Monachi, vel Monaſteriorum Abbates ab Epiſcopis Periodeutæ, vel Chorepiſcopi, aut Archipresbyteri ordinari ſolent. Qui ſic ordinati fuerint, aut in poſterum ordinantur, nec tales nominentur, nec facultatibus uti poſſint. Satis eſt enim Abbatibus, ut conſecrationem Abbatum ab Epiſcopo accipiant: qua accepta, & obtenta a Reverendiſſimo Domino Patriarcha licentia, poterunt Mitram geſtare, paramenta Sacerdotalia, & ſacra Inſtrumenta, atque Eccleſiæ Altaria, & Baptiſteria benedicere, & Lectores, Cantoreſque ordinare.

VI. Periodeutæ, ſeu Viſitatores, quos Cuſtodes in Vineis poſitos in partem Paſtoralis ſollicitudinis ſuæ Epiſcopi aſſumunt, Domini Dei ſabaot ſe Villicos eſſe ſciant, ut eorum fide, cura, & laboribus ager Eccleſiæ excultus, reddat Domino ſuo fructum in tempore. Decretorum igitur hujus Synodi perfectæ obſervantiæ invigilent, ac defectus quoslibet ad Epiſcopum fideliter diligenterque referant. Eccleſias omnes, etiam Parochiales, inviſant, & an cuncta decenter diſpoſita ſint, obſervent. Notent Parochorum in obeundo munere diligentiam, nimirum in adminiſtratione Sacramentorum, in celebratione Divinorum Officiorum, in prædicatione Verbi Dei, cæteraque, quæ ipſis in hac Synodo adimplenda præcepimus. Mores Clericorum, & Eccleſiaſticorum omnium vivendi rationem inquirant, & ad Epiſcopum referant, nec eorum cuiquam poteſtatem faciant abſcedendi a Diœceſi, neve Clericis, aut laicis commendatitias concedant Literas, niſi de licentia Epiſcopi. Si qua compererint inter Laicos ſcandala, aut jurgia, ſive odia, tollere curent, componere, & extinguere. Cauſas Civiles ad Forum Eccleſiaſticum ſpectantes uſque ad ſummam moderatam ab Epiſcopo determinandam conſuetis juris modis dirimant; in Criminalibus vero Cauſis non judicent, ſed capiant informationes, & ad Epiſcopum tranſmittant. Monaſteria tum virorum, tum mulierum viſitent ſemel in anno, habita tamen ad hoc ſpeciali ab Epiſcopo poteſtate, qui viſi-

tationem hujuſmodi poteſt etiam Abbati, aut alicui Monacho committere, qui vel immediate ad Epiſcopum, vel mediate per Periodeutam ad eundem Epiſcopum de ſtatu Monachorum, Monialium, & Monaſteriorum referat. Quocirca ſuas patentes Litteras Periodeuta ſæpe conſulat, ut intra ſuos ſe limites contineat, & deprehendat, ad quæ munia ipſius auctoritas extendatur. Viſitet porrò regionem ſuam menſe Novembri, vel alio tempore commodiori; & ante initium jejunii Nativitatis Domini mittat ad Epiſcopum Informationes, quas de Parochis, Clero, & Populo ſuæ regionis ceperit. Ante Dominicam autem ingreſſus Jejunii Quadrageſimalis ipſe Periodeuta adeat Epiſcopum, ut cuncta ei referat, ejuſque mandata excipiat; Quumque redierit, moneat ſubditos ſibi Parochos, de quibus juſſerit Epiſcopus, & omnia diligenter exequatur. In obeunda Viſitatione caveat, ne quid prorſus accipiat, aut extorqueat, præter victualia pro ſua, & alterius domeſtici perſona, ac duobus equis; alioquin graviſſime ab Epiſcopo puniatur. Quid vero a Periodeuta, vel aliis deputatis, quærendum ſit in Viſitatione, infra dicemus.

CAPUT IV.

De Epiſcopis Metropolitanis, & Primatibus.

1. EPiſcopi, quos poſuit Spiritus Sanctus regere Eccleſiam Dei, Apoſtolorum ſunt ſucceſſores, Presbyterorum Patres, creditæque ſibi Eccleſiæ Paſtores. Proprium igitur illorum munus eſt Eccleſiæ regimen, & poteſtas tum Ordinandi Miniſtros, tum Baptizatos confirmandi. Quamobrem in Romano Pontificali officia Epiſcopi hæc enumerantur. *Epiſcopum oportet judicare, interpretari, conſecrare, Ordinare, offerre, baptizare & confirmare.* Et in noſtro Pontificali Syriaco. *Tu, Domine, mitte ſuper hunc ſervum tuum Spiritum tuum Sanctum, & Principalem, ut paſcat, & viſitet Eccleſiam ſibi creditam, ordinetque in ea Sacerdotes,*

dotes, conſtituatque Diaconos, & conſecret Altaria, & Eccleſias, & benedicat domos, & faciat invocationes efficaces, & ſanet, & judicet, & gubernet, & liberet, & ſolvat, & liget, & exuat, & induat, & ſigat & ſegreget cum omni poteſtate, quam Apoſtolis tuis dediſti. Et paucis interjectis. *Et Sacerdotio fungatur, offeratque tibi oblationes mundas: omnibus eum virtutibus exorna: omnem Sancti Spiritus operationem in eum emitte: adveniat ſuper eum virtus Evangelii, ut per manus impoſitionem Dæmonia ejiciat, ſanitatem Infirmis largiatur, & ſigna atque prodigia in Populo tuo ad ſancti Nominis tui gloriam faciat.* Ubi nonnnulla recenſentur, quæ propria Epiſcoporum ſunt, nimirum, poteſtas ordinandi Sacerdotes, & Diaconos: conferendi Sacramentum Chriſmatis: conſecrandi Sancta Olea: dedicandi Eccleſias, & Altaria: ligandi, & ſolvendi & gubernandi Clerum, & Populum. Quædam ſunt Epiſcopis, & Presbyteris communia, ut, prædicare, & interpretari Verbum Dei, baptizare, offerre, & benedicere. Sed hæc ita Presbyteris tribuuntur, ut potiore jure ad Epiſcopos ſpectent, nec ea exerceri a Presbyteris poſſint ſine Epiſcoporum, permiſſu; non enim ſolum ſunt Epiſcopi Presbyteris ſuperiores, ſed etiam juriſdictionem in illos habent, tamquam Superiores in Subditos. Quamobrem tam Populo, & Clero, quam Præsbyteris præcipit Sanctus Ignatius (*epiſt. ad Smyrnenſes*) noſter Antiochenus Epiſcopus & Martyr. *Omnes Epiſcopum ſequimini, ut Chriſtus Patrem & Presbyterorum Collegium ut Apoſtolos. Sine Epiſcopo nemo quidquam faciat eorum, quæ ad Eccleſiam ſpectant. Et honora Deum, ut omnium auctorem & Dominum; Epiſcopum vero ut Principem Sacerdotum imaginem Dei referentem; Dei inquam propter Principatum, Chriſti vero propter Sacerdotium.*

2. Quæ quum ita ſint, agnoſcant Epiſcopi dignitatem ſuam, neve illam dictis, vel factis deturpent: oportet enim Epiſcopos eſſe (1. *Timoth.* 3.) irreprehenſibiles, ſobrios, caſtos, domui ſuæ bene præpoſitos. Vitia ergo fugiant, vir-

tutes ampleſtantur, & in veſtitu, & cultu, & omnibus actionibus ſuis honeſtatem præſeferant, ſicut decet Miniſtros Myſteriorum Dei. Mores vero ſuos omnes (*Trident. Seſs.* 25. *cap.* 1.) ita componant, ut Reliqui ab eis frugalitatis, modeſtiæ, continentiæ, ac, quæ nos tantopere comendat Deo, ſanctæ humilitatis exempla petere poſſint. Ipſi enim ſunt (*Matth.* 5. 13.)Sal Terræ, quo ſubditi omnes condiri debent: ipſi lux Mundi, quam Dominus ſuper Candelabrum poſuit, ut luceat omnibus qui in domo ſunt. Quapropter exemplo Sanctorum Patrum noſtrorum non ſolum jubentur Epiſcopi, ut modeſta ſupellectili, & Menſa, ac victu frugali contenti ſint. Verum etiam in reliquo vitæ genere, ac domi, & extra domum caveant, ne quid appareat, quod a ſancto hoc Inſtituto ſit alienum, quodque non ſimplicitatem Apoſtolicam, Dei zelum, ac vanitatum contemtum præſeferat. Monentur autem, ut ante omnia quilibet Epiſcopus (*Trident. Seſs.* 2.) in Menſa tam domi, quam quum invitatus fuerit, ſervet ſobrietatem, moderationemque Ciborum; deinde, quum in eo loco ſæpe otioſi ſermones oriri ſoleant, ut in ipſorum Epiſcoporum Menſis Divinarum Scripturarum lectio admiſceatur. Familiares vero ſuos unuſquiſque inſtruat & erudiat, ne ſint rixoſi, vinoſi, impudici, cupidi, elati, blaſphemi, & voluptatum amatores. Omnino autem (*Seſs.* 25. *cap.* 1.) Epiſcopis interdicitur, ne ex redditibus Eccleſiæ conſanguineos, Familiareſve ſuos augere ſtudeant, quum & (*Apoſt. Can.* 39. 75. *Antioch. can.* 25.) Apoſtolorum, & Patrum Canones prohibeant ne res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, Conſanguineis donent; ſed ſi pauperes ſint, iis ut Pauperibus diſtribuant; eas autem non diſtrahant, nec diſſipent illorum cauſa, imo quam maxime poſſumus eos monemus, ut omnem humanum erga Fratres, Nepotes, Propinquoſque carnis affectum, unde multorum malorum in Eccleſiam ſeminarium extat, penitus deponant. Sint potius Pauperum Patres, Pupillos, & Viduas foveant: Presbyteros, & Clericos honorent, ut & ipſi honorentur:

rentur: Cum Laicis neque nimiam familiaritatem habeant, neque affectatam ſeveritatem exhibeant; ſic tamen, ut nunquam ſui ſtatus obliti, Pontificiam dignitatem indecenti quadam demiſſione dehoneſtent, Principibus Viris aut loco cedentes, aut indigne illis perſonaliter ſervientes; Canonibus (*Trid. Seſs.* 25. *cap.* 17.) enim ſtatutum eſt, ut Epiſcopi tam in Eccleſia, quam foris ſuum gradum, & ordinem præ oculis habentes, ubique ſe Patres & Paſtores eſſe meminerint; reliquis vero tam Principibus, quam cæteris omnibus præcipitur, ut eos paterno honore, ac debita reverentia proſequantur. Super omnia non ſint litigioſi (1. *Timoth.* 3.) non percuſſores, non dent locum iræ, ſed in bono vincant malum; ſervum enim (2. *Timot.* 2.) Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem, cum modeſtia corripientem eos, qui reſiſtunt veritati. Attendant autem (1. *Timot.* 3. 13.) lectioni, exhortationi, & doctrinæ; Epiſcopis enim incumbit onus prædicandi (*Trid. Seſs.* 5. *cap.* 2.) per ſe ipſos Dei verbum, & Diœceſim ſibi creditam identidem (*Trid. Seſs.* 24. *cap.* 3.) perluſtrandi, a qua proinde abeſſe nequeunt, ſed ibi reſidere (*Trid. Seſs.* 6. *cap.* 1. *Seſs.* 23. *cap.* 1.) tenentur, niſi quum Chriſtiana charitas, urgens neceſſitas, debita obedientia, ac evidens Eccleſiæ, vel Reipublicæ utilitas aliquem nonnunquam abeſſe poſtulent & exigant. Cætera vero, quæ de Divinis Officiis in Choro peragendis, deque Sacramentorum adminiſtratione, vita, & honeſtate Clericorum, ac Parochis, aliiſque curam animarum habentibus dicta ſunt, ſibi dicta eſſe Epiſcopi intelligant.

3 Quum in more poſitum ſit, ut ad Epiſcopatus gradum nonnulli ex Ordine Monaſtico aſſumantur, alii vero e Sæcularibus Presbyteris Epiſcopi fiant: quia tamen in ipſa Epiſcoporum Ordinatione ii, qui Monachi non fuerant, per ſolennem Cuculli Monaſtici impoſitionem vitam Religioſam profitentur, adeoque una omnium eſt in Epiſcopatu conditio; ideo Canonem a Joſepho (*Synod. Joſephi Riſii Patriarchæ die* 3. *Novemb.*

Novemb. an. 1596. *can.* 3. *apud Dandinum pag.* 129.) Patriarcha noſtro olim ſtatutum renovantes; præcipimus, ut Epiſcopi omnes eadem habitus Epiſcopalis forma tam in Eccleſia, quam extra Eccleſiam utantur, ſive ii Populorum curam ſint habituri, ſive Monaſteriis regendis præponendi, ſive in Patriarchalis Eccleſiæ Suffraganeos aſſumendi. Meminerint autem illius, quam Patres (*Concil. Nicæn* 11. *can.* 16.) noſtri ſcriptam reliquerunt, admonitionis. *Quod non oporteat Epiſcopos veſtimentis pretioſis uti; omnis enim jactantia, & ornatura corporalis aliena eſt a ſacrato Ordine. Eos ergo Epiſcopos, vel Clericos, qui ſe fulgidis, & claris veſtibus ornant, emendari oportet. Si verò inventi fuerint deridentes eos, qui vilibus, & religioſis veſtimentis amicti ſunt, per epitimium corrigantur. Priſcis enim temporibus omnis Sacratus Vir cum mediocri, ac vili veſte converſabatur. Omne quippe, quod non propter neceſſitatem ſuam, ſed propter venuſtatem accipitur, elationis habet calumniam; quemadmodum Magnus ait Baſilius, ſed neque ex ſericis texturis veſtem quis variatam induebat, neque apponebat variorum colorum ornamenta in ſummitatibus veſtimentorum: Audierant enim ex Deiſona lingua* (Matth. 11.) *quia qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt.*

4. Etſi ratione Ordinis omnes Epiſcopi ſint æquales, at ratione jurisdictionis nonnulli ſunt aliis ſuperiores. Primum autem in ea Prælatorum ſubordinatione locum tenet Romanus Pontifex, utpote Chriſti Domini ac Dei noſtri in Terris Vicarius, & Petri Apoſtolorum Principis in poteſtate ſuper univerſam Eccleſiam, ejuſque Prælatos ſucceſſor. Alterum locum tenent Patriarchæ; Tertium Primates, ſeu Catholici, qui & Exarchi; Quartum Metropolitani, ſive Archiepiſcopi: Ultimum Epiſcopi ſimpliciter dicti. Nam Eccleſiæ a ſe inſtitutæ Apoſtolos Chriſtus Dominus, & Apoſtolis Petrum præfecit; Epiſcopi autem in locum Apoſtolorum ſuccedentes, diſtributis per Orbem terrarum Eccleſiis præſunt, iiſque omnibus præeſt, qui Petro in Romana Cathedra ſuccedit. Ut autem

tem unus alteri Epiſcopus ſubeſſet, ex eo factum eſt, quia etſi ab ipſis Eccleſiæ incunabulis, quum exiguus eſſet Credentium numerus, pauci Epiſcopi reperirentur, iis tamen ſemper aliquis major Epiſcopus ſuperpoſitus fuit, quemadmodum Apoſtoli præerant illis Epiſcopis, quos ipſi in diverſis Urbibus conſecraverant.

5. Eccleſiaſticarum Diæceſeon in Epiſcopales, Metropolitanas, Primatiales, & Patriarchicas diviſio, etſi non quoad nomen, certe quoad rem, ac poteſtatem, ipſa Apoſtolorum tempora attingit, & ad Sanctum Petrum Apoſtolorum Principem non immerito refertur. Nam Apoſtolicis temporibus Romani Imperii, quod Europam, Africam, & Aſiam obtinebat, tres primariæ Urbes erant, Roma, ſcilicet, totius Mundi Caput & Regina; Alexandria Aegypti, & Africæ Metropolis; & Antiochia totius Orientis, & Aſiæ Mater; Idcirco Beatiſſimus Petrus, cui Eccleſiæ Univerſæ regimen a Domino commiſſum fuerat, Romam ſibi ſedem elegit; reliquis duabus Civitatibus Alexandriæ, nimirum, & Antiochiæ, Epiſcopos præfecit, qui tamquam ipſius Vicarii, & Adminiſtri, vaſtiſſimas illas Diæceſes regerent. Horum autem Præſulum commune ab initio Epiſcopi, ſeu Principis Sacerdotum nomen fuit; re tamen ipſa, poteſtate, atque juriſdictione id unuſquiſque erat; quod ſubſequutis temporibus excogitata nomina clarius ſignificarunt, Patriarchæ ſcilicet, Primatis, & Metropolitani; Nam qui Epiſcopos ſibi ſubjectos habebat, Metropolitanus: Qui Epiſcopos, & Metropolitanos, Primas: Qui demum Primates, Metropolitanos, & Epiſcopos, Patriarcha ſequiori ævo dictus eſt.

6 Quod autem in ipſis fere Eccleſiæ incunabulis facta fuerit Eccleſiaſticæ juriſdictionis diviſio in tres Patriarchales Eccleſias, & in alias Primatiales, & Metropolitanas ab illis dependentes, planum faciunt Patres Nicæni in celeberrimo illo (*Nicæn. can. 6.*) Canone, quo Sedium ſingularum privilegia confirmant; quum enim Alexandrino Patriarchæ jus ſuum,

juxta

juxta formam Romani Patriarchatus, qui totum complectebatur Occidentem, his verbis tribuiſſent: *Antiqua conſuetudo ſervetur per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem; quia & Urbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt*; ſubjungunt de Patriarcha Antiocheno, deque aliis primariis Orientis Præſulibus: *Similiter autem & apud Antiochiam, cæteraſque Provincias, ſuis privilegia ſerventur Eccleſiis. Illud autem generaliter clarum eſt, quod ſi quis præter Metropolitani ſententiam fuerit factus Epiſcopus, hunc Magna Synodus definivit Epiſcopum eſſe non oportere*. Ubi per *Cæteras Provincias* intelligunt Patres Nicæni præſertim tres Diæceſes habentes Primatem, poteſtate in ſubjectas ſibi Provincias gaudentem, nempe, Diæceſim Aſiaticam ſub Epheſino, Thracicam ſub Heracleenſi, & Ponticam ſub Primate Cæſareenſi; Per *Metropolitanum* autem intelligunt quemlibet Archiepiſcopum, ſive in Patriarchica, ſive in Primatiali Diæceſi poſitum, & poteſtate ſimili in ſubjectos Epiſcopos gaudentem.

7. Quod vero tres antedictæ Patriarchales Eccleſiæ neque eſſent poteſtate pares, neque privilegia ſua ab Urbium magnitudine, ac præſtantia, ſed ab ipſo earum Fundatore Sancto Petro Apoſtolorum Coryphæo habeant, compertum eſt, tum ex eo quod Romana Eccleſia, utpote propria ipſius Petri Sedes, plenitudinemque Apoſtolicæ poteſtatis ab eodem accipiens, in reliquas, tamquam in ſubjectas, debitam ſemper auctoritatem, & juriſdictionem exercuit; tum quia ſi non a Petro Apoſtolo, ſed ab Urbium ſplendore, ac majeſtate eſſet petenda Patriarcharum poteſtas, ſequeretur Hieroſolymitanam Eccleſiam, in qua converſatus, paſſus, mortuus & ſepultus eſt Salvator Noſter, ſuper omnes alias Primatu gaudere debere; quæ tamen Patriarchali honore poſt reliquas ornata eſt; vel omnia, Orientalium ſaltem Patriarcharum privilegia corruere nunc, & convelli debere, quum univerſus Oriens ſub alienigenis Principibus gemit, & præter unam Urbem Byzantinam, reliquæ

tres

tres Patriarchales ab antiqua dignitate exciderunt. At vero quum dirutis, excisiſque Civitatibus maneat nunc, & perpetuo manſura ſit in Antiocheno præſertim, & Alexandrino præſule Patriarchalis dignitas, planum ſit, Orientales noſtros Imperatoribus Conſtantinopolitanis contra jus faſque aſſentatos fuiſſe, dum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ privilegia (*Conſtantinopol.* 1. *can.* 3. *alias.* 5.) non aliam ob cauſam tribuerunt, eamque cæteris Orientis Patriarchis præferendam cenſuerunt, quam quod eſſet nova Roma, & Imperatorum ſedes; ſic enim ajunt. (*Chalced. can.* 28.) *Sanctorum Patrum Decreta ubique ſequentes, & Canonem, qui nuper lectus eſt, centum & quinquaginta Dei amantiſſimorum Epiſcoporum agnoſcentes, eadem quoque & nos decernimus ac ſtatuimus de privilegiis Sanctiſſimæ Eccleſiæ Conſtantinopolis novæ Romæ. Etenim antiquæ Romæ Throno, quod Vrbs illa imperarit, jure Patres privilegia tribuerunt; & eadem conſideratione moti centum quinquaginta Dei amantiſſimi Epiſcopi Sanctiſſimæ novæ Romæ Throno æqualia privilegia tribuerunt, recte judicantes, Vrbem, quæ & Imperio, & Senatu honorata ſit, & æqualibus cum antiquiſſima Regina Roma privilegiis fruatur, etiam in rebus Eccleſiaſticis, non ſecus ac illam extolli, ac magnificari ſecundam poſt illam exiſtentem*. Canonem hunc improbavit Sanctiſſimus Romanus Pontifex Leo, ejuſque ſucceſſores, quod Nicænis Canonibus repugnaret, & antiqua Patriarcharum privilegia everteret; ſed tandem Innocentius III. in Concilio Lateranenſi (*Lateran.* IV. *ann.* 1215. *can.* 15.) Secundum locum poſt Romanam Eccleſiam Conſtantinopolitano, Tertium Alexandrino, Quartum Antiocheno, & quintum Hieroſolymitano, ſervata cuilibet propria dignitate, conceſſit; Idque poſtea in Concilio Florentino (*Florent. ann.* 1438. *in decreto unionis*) confirmatum fuit ab Eugenio IV. his verbis. *Renovantes inſuper Ordinem traditum in Canonibus cæterorum Venerabilium Patriarcharum; ut Patriarcha CP. ſecundus ſit poſt Sanctiſſimum Romanum Pontificem, tertius vero Alexandrinus, quartus autem*

Antiochenus, & quintus Hieroſolymitanus, ſalvis videlicet privilegiis omnibus, & juribus eorum.

8. Quis fuerit Patriarchatus Noſtri Antiocheni ſtatus, & quæ ſub ipſo Primatiales, Metropolitanæ, & Epiſcopales Sedes claruerint, moleſto plane animo exponendum ſuſcipimus, qui talem tantamque Eccleſiam a ſummo felicitatis culmine, noſtris exigentibus peccatis, ad miſerrimam vaſtitatem deveniſſe dolentes cernimus. Quia tamen in infinita Dei bonitate confidimus, fore ut aliquando (*Pſal.* 131) propter David ſervum ſuum non avertat faciem Chriſti ſui, ideſt propter Sanctum Petrum Antiochenæ hujus Eccleſiæ fundatorem, Ovibus Chriſti Domini ſanguine redemptis reconciliatus, illas ſchiſmate compreſſo, diſſipatiſque Infidelitatis tenebris, ad unum Ovile, & ad unum Paſtorem adducat, priſtinamque iiſdem amplitudinem, ac decorem reſtituat; idcirco Provincias, Urbeſque Throno Patriarchali olim ſubjectas enumeramus; Ac primum de Primatibus dicemus, deinde de Metropolitanis, & Epiſcopis.

I. Quum ab initio, ut ſupra dictum eſt, Antiocheni Patriarchæ poteſtas totam Aſiam, & Orientem complexa ſit, quatuor ſub illo Primates fuere, duo, videlicet, in Aſia, & Ponto, & duo in Oriente proprie dicto. Aſiæ Primatialis ſedes Epheſi fuit, Ponti autem in Cæſarea Cappadociæ. Sub iſtis Metropolitani Sebaſtæ in Armenia, Antiochiæ in Piſidia, Sidæ in Pamphilia, Miræ in Lycia, Hierapolis in Phrygia, Sardorum in Lydia, Aphrodiſiadis in Caria, & Iconii in Lycaonia. Sed poſtquam a Conſtantino Imperatore in Urbem Byzantium Sedes Imperii translata eſt, ejus Urbis Epiſcopo, tam antedictæ duæ Primatiales Ponti, & Aſiæ, quam Thracica Diæceſis, aliæque etiam ad Romanam ſedem ſpectantes Eccleſiæ per Imperatorum potentiam, Byzantinorum Epiſcoporum ambitionem, & Orientalium Antiſtitum aſſentationem adjectæ fuere.

II. Duo alii in Oriente Primates, ſeu Catholici, ſub Patriar-

Patriarcha Antiocheno diutius manſere, nimirum, *Perſidis* (*Aſſeman. Bibliot. Orient. Tom. 3. par. 2. pag. 616.*) *Metropolita*, qui Chriſtianos extra Romani Imperii fines conſtitutos in toto Perſarum Regno, & magna India verſantes regebat; & *Seleuciæ Archiepiſcopus*, qui Aſſyrijs, Chaldæis, & Arabibus Chriſtianis ſub Perſarum item Regno poſitis præerat. Horum inſtitutio Nicæni Concilii tempora antecedit; Nam *Joannes Perſidis* Epiſcopus, qui apud Gelaſium Cyzicenum *Eccleſias in tota Perſia, & magna India* repræſentaſſe dicitur, eidem (*Concil. Labb. Tom. 1. pag. 227.*) Nicæno Concilio ſe ſubſcripſit: Simeon vero, qui anno Chriſti 330. ſub Sapore Perſarum Rege coronam Martyrii adeptus eſt, a Sozomeno (*Lib. 2. cap. 9.*) *Archiepiſcopus Seleuciæ, & Cteſiphontis* appellatur,

III. Circa ejuſdem Concilii Nicæni tempora duo alii emerſere *Catholici*, ſeu *Primates*; *Armeniæ*, nimirum, & *Iberiæ*. Quum enim, Conſtantino Imperatore, & Tiridate Armenorum Rege, Sanctus Gregorius Armenos, Iberos vero Chriſtiana Ancilla quædam, quam *Nune* Armeni vocant (*Galan. in Conciliat. Eccl. Armenæ cum Rom. pag. 12. 23. 45.*) ad Chriſti fidem adduxiſſent, utrique genti Epiſcopus datus fuit; Armenis quidem ipſe Gregorius Illuminator; Iberis verò Gregorius alter ejuſdem Nepos. Horum Succeſſores *Catholici* appellati. Et Iberi (*S. Antonin. 3. par. hiſt. tit. 19. cap. 8. Vincent. Bellovacen. Specul. hiſt. lib. 30. cap. 93. Raphael Volaterran. lib. 2. de factis Syriæ. Thomas a Jeſu de converſione gentium lib. 7. cap. 21. pag. 408.*) quidem, qui Albani, Georgiani, Colchi, & Mengrellenſes dicuntur, uſque ad Mauricii tempora Armenis fide, & ritu conjuncti fuere, poſtea Græcis adhæſerunt; quorum Antiocheno Patriarchæ Metropolitanus, ſeu Primas Iberiæ ſubjectus fuit, & ab ipſo Ordinationem accipiebat, uſque ad annum fere 1053., quo Petrus Patriarcha indulſit, ut a ſuis Epiſcopis conſecraretur; quemadmodum Theodorus Balſamon (*In Can. 11. Conſtantinopol.*)

tinopol.) teſtatur. *Iberiæ autem Epiſcopum honoravit Antiochenæ Synodi diſpoſitio*; *dicitur enim*, *quod tempore Sanctiſſimi Patriarchæ magni Antiochiæ Domini Petri fuit Synodica Ordinatio*, *qua ſtatutum eſt*, *liberam eſſe*, *ac Principalem*, *&* *autocephalam Eccleſiam Iberiæ*, *quæ eo tempore Patriarchæ Antiocheno ſuberat*. Armeni verò, poſtquam a fide Catholica poſt ſacri Concilii Chalcedonenſis tempora defecerunt, Catholicum ſuum non modo ad Patriarchalem dignitatem evexere, ſed etiam in Schiſma diviſi, alterum in Armenia Majori, ubi antiquus ille Catholicus ſolebat reſidere, alterum in Cilicia ſibi crearunt Patriarcham, de quo conſulendus (*Galan. hiſt. Armen. tom.* 1.) Galanus qui ejus gentis hiſtoriam diligenter eſt perſequutus.

IV. Quod Armeni ab Eccleſia Catholica avulſi fecerunt, idem præſtitere Primates illi duo, Perſidis nimirum, & Seleuciæ. Quum enim (*Aſſeman. Tom.* 3. *Bibliot. Orient. par.* 2. *pag.* 617.) Babæus Seleuciæ Thronum anno Chriſti 498. occupaſſet, quod Neſtoriana hæreſi laboraret, ab Antiocheni Patriarchæ obedientia deficiens, Patriarchalem dignitatem ſibi & ipſe vindicavit, & Perſidis etiam Primatem eadem hæreſi infectum ſuo ſubjecit imperio. Ante eum Chriſti annum Seleuciæ, & Perſidis Primates ſub Patriarchæ Antiocheni poteſtate vixerant, idque unum ab Antiocheno Patriarcha privilegium obtinuerant, ut a ſuis Suffraganeis ordinarentur, neve Ordinationis cauſa Antiochiam adire cum capitis periculo cogerentur; ut in Arabicis canonibus; qui Nicæni Concilii nomen præferunt, affirmatur. Poſt annum verò quingenteſimum ex Primate Seleucienſi creatus Neſtorianorum Patriarcha, cæteris Orientis, Perſiæ, & Indiæ Eccleſiis in eamdem hæreſim pertractis, in duos tandem anno 1580. diviſus eſt ejuſdem Sectæ Patriarchas, quorum alter antiquum Seleuciæ Primatem, alter Perſidis Catholicum repræſentabat.

V. Nec tantum Primates Seleuciæ, Perſidis, Armeniæ, & Iberiæ ab Antiochena Sede ſunt avulſæ, ſed et ipſa Antiochena

chena ſedes in plura fruſta poſtmodum ſciſſa eſt. Quum enim Severus Antiochiæ Patriarcha, quod duas in Chriſto Domino Naturas negaret, & ſacrum Chalcedonenſe Concilium rejiceret, anno 518. exeunte, depoſitus fuiſſet, in ejuſque locum Orthodoxus Antiſtes Paulus ſucceſſiſſet, ab eo tempore uſque in præſentem diem Syri Jacobitæ cæperunt ſuos habere in Meſopotamia, & Syria Patriarchas ab iis, qui Paulum antedictum exceperunt, diverſos.

VI. Centum fere poſt annis alia in eodem Patriarchatu facta eſt inter Syros noſtros Maronitas, & Melchitas diviſio, quæ ad noſtram durat ætatem; Nam qui Syriam, & Phæniciam ſub uno eodemque Patriarcha conſtituti incolebant, in duas civiles ſub Saracenici Imperii exordio factiones ſciſſi ſunt, quorum alii, qui Imperatori Conſtantinopolitano parebant, Syro vocabulo Melchitæ, ideſt, Regii, ſeu Imperiales, dicti fuere: Alii, qui Imperatoris jugo excuſſo, proprium ſibi Ducem creantes, Phæniciam Maritimam, & Mediterraneam obtinuerunt, *Mardaitæ*, ideſt Rebelles, ſunt appellati; Iſtis poſtea *Maronitarum* nomen impoſitum, quod, Theophane communi utriuſque gentis Patriarcha defuncto, Joannem e celebri Sancti Maronis ad Orontem fluvium poſito Monaſterio, Præſulem ſibi crearunt, cujus tempore Mardaitarum nomen in Maronitas tranſiit. Id anno Chriſti 685. accidit: Memoratæ autem illius factionis initia ad annum circiter Chriſti 622. qui primus Saracenici Imperii eſt, referenda ſunt. Primi Maronitarum Duces (*Annales Maronitar. apud Stephanum Edenenſem Patriarc. Vid. Aſſeman. Bibliot. Orient. To. 1. pag.* 501.) fuere Joſephus & Choſroes, a quo Choſroene Regio eſt dicta, quam nunc Cheſroanam appellamus. His ſucceſſere Jobus, & Elias, qui Heraclio Imperatori adverſus Perſas anno 628. in Syria pugnanti ſuppetias tulit. Eliam Joſephus, & hunc Joannes excepit, qui anno 675., & ſequenti, profligatis Arabibus, totum Terrarum tractum ab Hieroſolymis ad fines Antiochiæ occupavit, quemadmodum Græci Scriptores Theo-

Theophanes (*Theophanes ad ann.8.Conſtantini Pogonati pag.295. Cedrenus Tom. 1. pag.*) ac Cedrenus narrant. *Annis*, ajunt, *octavo, & nono Conſtantini, Mardaitæ Libanum ingreſſi, occupaverunt quidquid a Mauro Monte uſque ad Sacram urbem; & ſpeculas etiam Libani obtinuere. Multi ad eos ſe contulerunt, Captivi, atque Indigenæ, adeo ut exiguo tempore ad multa excreverint millia. Hæc Maviam* Arabum Chalipham, *& qui cum eo erant, terruerunt, ita quidem, ut cogitantes, Romanum Imperium Divino præſidio defendi, legatos ad Conſtantinum pacis petendæ cauſa miſerint. Is Pitzicaudam ad Saracenos mittit, perque eum pacem cum eis componit; ac Tabulis conſignat ea conditione, ut per annos triginta quotannis Saraceni Romanis penderent auri millia decem, ſervos centum, equos generoſos quinquaginta.* Atque ita a Saracenorum incurſionibus pacatum fuit Romanum Imperium, donec Conſtantinus Pogonatus vixit. Quo defuncto, quum Juſtinianus ejuſdem Filius anno 685, gubernacula Imperii ſuſcepiſſet, Abdalmalechus Mervani filius, qui quartus a Moavia Arabibus præfuit, pacis inſtaurationem poſtulavit, modo Imperator Mardaitarum Copias e Libano alio transferret; Quod memorati (*Theophanes* 300. 302. 303. *Cedren. Tom.* 1. *pag.* 440.) Theophanes, ac Cedrenus narrant. *Primo Juſtiniani anno Abimelecus ad eum Nuncios mittit confirmandæ pacis cauſa, convenitque, ut Imperator agmen Mardaitarum in Libano, ejuſque impreſſiones compeſceret, eoque nomine Arabes Romanis penderent in ſingulos dies nummos mille, equum, & Servum. Imperator Paulum Magiſtrianum ad Abimelechum mittit pacti confirmandi gratia idque ſcripto, & teſtibus eſt comprehenſum. Proinde Imperator, miſſo Legato, duodecim millia Mardaitarum revocat. Quo quidem facto Romanam potentiam occidit. Quidquid enim hodie Arabes tenent a Mopſueſtia uſque ad quartam Armeniam, id omne infirmum erat, Cultoribuſque vacuum, ob incurſiones Mardaitarum. Quibus repreſſis, ingentia damna Arabes Romano Imperio in hunc uſque diem intulerunt.* Tum vero recrudue-

re in-

re inter Mardaitas, & Melchitas odia, & quia amiſſo validiſſimi exercitus robore, coacti fuerant Saracenorum Imperio ſuccumbere, ab Imperatore, & Melchitis ſeceſſionem, proprio etiam, utſupradictum eſt, adſcito Patriarcha, fecere.

VII. Quæ igitur una fuerat, totique Orienti imperaverat Patriarchalis Antiochena ſedes in quinque capita ſæculo ſeptimo ſciſſa eſt; Nam unaquæque Chriſtiana gens proprium ſibi conſtituit Præſulem. Melchitæ, ſcilicet, Maronitæ, Neſtoriani, & Armeni, quibus & ſeculo duodecimo ſextus acceſſit Latinorum Patriarcha. Cum enim Latini, ſeu Franci Terram Sanctam, & Syriam obtinuiſſent, anno Chriſti 1100. primum ſibi Latini ritus Patriarcham Bernardum a ſummo Romano Pontifice præficiendum curarunt; Et quamvis centum ſexaginta octo poſt annis e Syria excedere a Saracenis compulſi ſunt, Titularem tamen Antiochiæ Patriarcham ad hanc uſque diem retinent.

VIII. Atque iſta de Patriarcha ipſo ejuſque Primatibus. Nec felicior fuit Metropolitanorum illius ſedis, Epiſcoporumque viciſſitudo. Horum numerus imminutus fuit, quum nonnullæ Diæceſes ab Antiochena ſede avulſæ, vel in Patriarchales erectæ fuerint, vel ſui juris privilegium obtinuerint; Auctus eſt etiam, quum Imperatorum Edictis una Provincia in duas, vel plures diviſa fuiſſet; Nonnullæ præterea Eccleſiæ, quæ prius Epiſcopales erant, aliis Metropolitanis obnoxiæ, in dignitatem Metropolitanarum provectæ ſunt, decretumque, ne aliis Metropolitanis ſubderentur, ſed ſoli Patriarchæ Antiocheno; & quemadmodum ubique Metropoles, ita per ſe caput eſſent, etiamſi nullos ſub ſe haberent Epiſcopos.

IX. Ab Antiocheno Throno avulſæ ſunt Metropoles Cæſareæ in Palæſtina, & Cypri. Nam Palæſtina primum ſub Antiochena Eccleſia fuit, ejuſque Metropolis Cæſarea, ſub qua Hieroſolymorum Urbs Epiſcopalis. Hæc verò in Concilio Nicæno (*Nicæn.* 1. *Can.* 7.) obtinuit honoris conſequentiam, ſalva Metropoli Cæſareenſi propria dignitate. Poſtea tamen Hieroſolymitanus Epiſcopus non tantum honorem, ſed etiam

aucto-

auctoritatem Patriarchalem obtinuit, treſque ſibi ſubjectas Palæſtinas jure Patriarchico adminiſtrare cæpit: ut legitur in Concilio (*Act.* 7.) Chalcedonenſi, in quo decidentes Patres contentionem, quæ inter Maximum Patriarcham Antiochenum, & Juvenalem Hieroſolymorum Epiſcopum orta erat, decrevere, ut Eccleſia Antiochena haberet duas Phænicias, & Arabiam: Eccleſia vero Hieroſolymitana tres Palæſtinas, primam, nimirum, cujus Metropolis Cæſarea: Secundam, cujus Metropolis Scythopolis, & tertiam, cujus Metropolis Petra. Eccleſia autem Cypri ſub Antiochena ſede ſemper fuit, ejuſque Metropolita ab Antiocheno Patriarcha Ordinationem accipiebat, ut ſcribit (*Epiſt.* 18. *cap.* 2.) Sanctus Innocentius Papa I. ad Alexandrum Patriarcham. *Cyprios aſſeris olim Arianæ impietatis potentia fatigatos non retuliſſe Nicænos Canones in ordinandis ſibi Epiſcopis, & uſque adhuc habere præſumptum, ut ſuo arbitratu ordinent neminem conſulentes. Quocirca perſuademus eis, ut curent, juxta Canonum fidem, fidem Catholicam ſapere, atque unum cum cæteris ſentire Provinciis, ut appareat Sancti Spiritus gratia ipſos quoque, ut omnes Eccleſias, gubernari.* At illi in Concilio Epheſino antiqua Eccleſiæ ſuæ privilegia, & vetuſtas conſuetudines obtendentes, decretum (*Epheſini Concilii decretum de Eccleſia Cypriorum*) hoc obtinuerunt. *Si non eſt vetus mos, quod Epiſcopus Antiochenus ordinet in Cypro, ſicut libellis, & propriis vocibus docuerunt Religioſiſſimi Viri Rheginus Cypri Metropolita* Conſtantienſis, ſeu Palaminienſis, & Zenon Epiſcopus Curienſis, & Evagrius ſolenſis, *qui ad Synodum acceſſerunt, habebunt ſuum jus intactum & inviolatum, qui Sanctis in Cypro Eccleſiis præſunt, ſecundum Canones Sanctorum Patrum, & veterem Conſuetudinem, per ſe ipſos Ordinationes Religioſiſſimorum Epiſcoporum facientes.* Id quod a Græcis Cypri Metropolitis obſervatur; ſecus a noſtris, qui autocephaliam ſibi nunquam uſurparunt.

X. Ut igitur Cæſaream omittamus, hæ Metropoles ſub noſtro Antiocheno Patriarchatu recenſentur. 1. Tyri. 2. Tarſi. 3.

ſi 3. Edeſſæ. 4. Apameæ. 5. Hierapolis. 6. Boſtræ. 7. Seleuciæ Iſauriæ. 8. Damaſci. 9. Cypri. Quibus duæ poſtea additæ fuere, Anazarbi, ſcilicet, & Amidæ, quarum prima a Tarſo avulſa eſt, altera ab Edeſſa.

Ordo verò Sanctarum Sedium hic eſt:

Antiochia, Sedes Patriarchalis, Metropolis primæ Syriæ; habet ſub ſe non modo Aſiam & Orientem uſque ad Indiam, ſed præterea, tamquam Metropolitana, ſubjectos Epiſcopatus octo.

Tyrus, Phæniciæ Metropolis, habet ſub ſe Epiſcopales Urbes treſdecim.

Tarſus, Ciliciæ primæ Metropolis, habet ſubjectos Epiſcopatus Septem.

Edeſſa, Meſopotamiæ Metropolis, habet ſub ſe Epiſcopatus duodecim.

Apamea, Syriæ Secundæ Metropolis, habet ſub ſe Epiſcopatus ſex.

Hierapolis, ſeu Mabug, Metropolis Comagenæ, ſeu Syriæ Euphrateſiæ, habet ſub ſe Epiſcopatus undecim.

Boſtra, Arabiæ Metropolis, habet ſub ſe Epiſcopatus decem & octo.

Seleucia, Iſauriæ Metropolis, habet ſub ſe Epiſcopatus viginti quatuor.

Damaſcus, Syriæ Tertiæ, ſeu Phæniciæ Libani Metropolis, habet ſub ſe Epiſcopatus quatuordecim.

Cyprus Inſula, Metropolis Conſtantina ſeu Conſtantia, quæ & Salaminia, habet ſub ſe Epiſcopatus duodecim.

Anazarbus Ciliciæ ſecundæ Metropolis, habet ſub ſe Epiſcopatus octo.

Amida, Meſopotamiæ Metropolis, habet ſub ſe Epiſcopatus decem.

XI. Metropoles, ſeu Archiepiſcopatus autocephali, hoc eſt

eſt per ſe ſubſiſtentes, ſunt iſti: 1. Beryti. 2. Heliopolis. 3. Cyri 4. Chalcidis. 5. Samoſatæ. 6. Mopſueſtiæ. 7. Adanæ. 8. Berœæ. 9. Palmyræ. 10. Tagriti. 11. Melitinæ. 12. Daræ. 13. Emeſſæ. 14. Laodiceæ. 15. Roſaphæ. 16. Mardæ. 17. Niſibis. 18. Ninives; quarum prima abſciſſa eſt a Tyro; ſecunda, nona, & decimatertia a Damaſco; Tertia, quinta, & decima quinta a Hierapoli; Quarta, octava, & decima quarta a Patriarchali Diæceſi; Sexta ab Anazarbo; Septima a Tarſo; decima, & undecima ab Edeſſa; tres ultimæ ab Amida.

XII. Præterea occurrunt aliæ Epiſcopales Sedes in Eccleſiaſticis Tabulis, & apud Hiſtoricos memoratæ, quas hic omittimus. Quaſdam etiam Metropolitanas, vel Epiſcopales ſedes erexere ſingularum Nationum Patriarchæ pro Urbium magnitudine, vel Fidelium frequentia: nonnullas quoque ex Epiſcopalibus Metropolitanas, & e contra ex Metropolitanis Epiſcopales fecere; aliæ vero ob temporum injuriam, vel Barbarorum incurſiones, penitus deletæ ſunt.

9. Quamvis ex Imperatorum arbitrio olim in Oriente penderet, ut Caſtro, aut Oppido, ipſum in Civitatem, vel Metropolim exaltando, Epiſcopum, aut Metropolitam donarent, quemadmodum ſæpe fecerunt, idque ex hoc Canone (*Chalced. can.* 17.) Calcedonenſi colligitur. *Sin autem Civitas antiqua ab Imperatoria auctoritate innovata eſt, vel deinceps innovata fuerit, civiles, & publicas formas Eccleſiaſticarum quoque Parochiarum ordo conſequatur*. Non tamen effici potuit, ut antiquus Epiſcopus, vel Metropolita, jus Eccleſiæ ſuæ, & privilegia amitteret; ut enim ait Innocentius I. ad Alexandrum (*Epiſt.* 18. *cap.* 2.) Patriarcham Antiochenum. *Quod ſciſcitaris, utrum diviſis Imperiali judicio Provinciis, ut duæ Metropoles fiant, ſic duo Metropolitani Epiſcopi debeant nominari; non viſum eſt ad mobilitatem neceſſitatum mundanarum Dei Eccleſiam commutari, honoreſque, aut diviſiones perpeti, quas pro ſuis cauſis faciendas duxerit Imperator*. Et Patres Chalcedonenſes (*Chalced. can.* 12) novæ per Imperatores

res erectæ Metropolis Epiſcopo honorem tantummodo Metropolitani dant, ſalvis ſemper antiquæ Metropolitanæ privilegiis. *Pervenit ad Nos, quod quidam præter Eccleſiaſtica ſtatuta facientes, convolarunt ad Poteſtates, & per Pragmaticam ſacram in duo Provinciam unam diviſerunt; ita ut ex hoc facto duo Metropolitani eſſe videantur in una Provincia. Statuit ergo Sancta Synodus de reliquo nihil ab Epiſcopis tale tentari, alioquin qui hoc adauſus fuerit, amiſſioni gradus proprii ſubjacebit. Quæcumque vero Civitates jam Literis Imperialibus Metropolitani nominis honore ſubnixæ ſunt, honore tantummodo perfruantur, & qui Eccleſiam ejus gubernat Epiſcopus; ſalvis ſcilicet veræ Metropoli privilegiis ſuis.* Antiqua nimirum, Nicæni Concilii regula (*Nicæn. Can.* 4.) unum vult Metropolitam in quavis Provincia eſſe Epiſcopum. *Firmitas eorum, quæ geruntur per unamquamque Provinciam, Metropolitano tribuatur Epiſcopo.* Nudum itaque Metropolitæ nomen, & honorem, non poteſtatem accipit ille Epiſcopus, qui, erecta in Metropolim per Literas Imperiales Urbe, Metropolitanus dicitur, ejuſque privilegia non alia ſunt, quam ut titulo Metropolitani, ſeu Archiepiſcopi gaudeat, & ut primum locum in Provinciæ Synodo habeat poſt Metropolitam ante quoſuis Comprovinciales Epiſcopos, licet Conſecrationis ætate ſeniores, ut demum poſſit a Patriarcha, non a Metropolitano conſecrari.

10. Sicut autem novus hujuſmodi Metropolitanus juribus antiquioris non præjudicat, ſic neque privilegiis ſuis ea Metropolitana Eccleſia exuitur, quæ barbaricis incurſionibus vaſtata ſit, quemadmodum Patres (*Concil. Trullan. can.* 37.) præcipiunt: „ Quoniam diverſis temporibus barbaricæ incur- „ ſiones fuere, & ex eo plurimæ Civitates Infidelibus ſubju- „ gatæ fuerunt, ut ideo non poſſit ejus Civitatis Præſul poſtquam „ ordinatus fuerit, ſuum Thronum apprehendere, & in eo „ Sacerdotali conſtitutione collocari, & ſic pro ea, quæ in- „ valuit conſuetudine, Ordinationes, & omnia quæ ad Epi-

 „ ſcopum

„ ſcopum pertinent, agere, & pertractare; Nos honorem, ac
„ venerationem Sacerdotis ſervantes, & Gentilem injuriam
„ nequaquam ad Eccleſiaſticorum jurium perniciem exerceri
„ volentes, eos, qui ſic ordinati ſunt, & propter prædictam
„ cauſam in ſuis Thronis non ſunt conſtituti, ut abſque ullo
„ ex ea re præjudicio conſerventur, decrevimus, ut & diver-
„ ſorum Clericorum Ordinationes canonice faciant, & præſi-
„ dentiæ auctoritate ſecundum proprium ſtatum utantur, &
„ ſit firma, ac legitima quæcumque ab eis procedit admi-
„ niſtratio.

12. Metropolitanorum jura in ſubiectos Provinciæ ſuæ Epiſcopos hæc olim erant. 1. Epiſcopos Provinciæ ſuæ in Synodo conſtituebant, & ordinabant. 2. Cauſas, & controverſias eorumdem Epiſcoporum decidebant, & quæ in Synodo Epiſcopi definitæ fuerant, eas iterum vocabant ad examen in Synodo Metropoliticā. 3. Conciliorum Provincialium, ſeu Metropoliticorum, quæ ex Epiſcopis totius Provinciæ conſtabant, celebratio penes Metropolitanos erat. 4. Tamquam Cuſtodes in ſpecula poſiti, invigilabant, ne fides, aut diſciplina quidpiam detrimenti in Diæceſibus ſubiectorum Epiſcoporum pateretur. 5. Clericis & Epiſcopis extra Diæceſim ad Sanctiſſimum Romanum Pontificem, aut Patriarcham, vel Primatem ſuum proficiſcentibus concedebant Literas Commendatitias, quas formatas vocant; quarum virtute apud diſſitas nationes communione Eccleſiaſtica, ſeu quæ ſuo Ordini reſponderet, fruerentur. Eiſdem reſpective privilegiis gaudebant Primates quoad ſubditos Metropolitanos, & Epiſcopos, & Patriarchæ quoad ſubjectos Primates, Metropolitanos, & Epiſcopos.

12. Quod Epiſcopus debeat a Metropolitano, & ab omnibus ejuſdem Provinciæ Epiſcopis ordinari, vel præſentibus ipſis, vel per ſcripta conſentientibus, ſtatuunt ſequentes Canones. Canon 1. Apoſtolorum. *Epiſcopus a duobus, vel tribus Epiſcopis ordinetur*. Nicenæ Synodi Canon 4. „ Epiſcopum opor-
„ tet

„ tet maxime quidem ab omnibus, qui ſunt in Provin-
„ cia, conſtitui; ſi autem hoc ſit difficile vel propter urgen-
„ tem neceſſitatem, vel propter viæ longitudinem, tres omni-
„ no eumdem in locum congregatos, abſentibus quoque ſuf-
„ fragium ferentibus, ſcriptiſque aſſentientibus, tunc Ordi-
„ nationem facere; eorum autem, quæ fiunt, confirmationem
„ in unaquaque Provincia a Metropolitano fieri. *Ejuſdem*
„ *Nicenæ Synodi Canon. 6.* Illud autem eſt omnino manife-
„ ſtum, quod ſi quis abſque Metropolitani ſententia factus ſit
„ Epiſcopus, eum magna Synodus definivit non eſſe Epiſco-
„ pum. Quod ſi quidem communi omnium electioni, quæ &
„ rationi conſentanea, & regula Eccleſiaſtica facta eſt, duo,
„ vel tres propter ſuam, qua delectantur contentionem, con-
„ tradicant, vincant plurium ſuffragia. *Antiochenæ Synodi*
„ *Canon 19.* Epiſcopus ne ordinetur abſque Synodo, & præ-
„ ſentia Metropolitani Provinciæ; eo autem præſente, omni-
„ no melius eſt omnes una cum eo adeſſe, qui ſunt in Pro-
„ vincia ejuſdem muneris, officiique ſocii, & oportet per
„ Epiſtolam Metropolitanum eos convocare; & ſi omnes qui-
„ dem acceſſerint, bene eſt, ſin autem hoc fuerit difficile,
„ plures omnino adeſſe oportet, vel per Literas una cum il-
„ lis ſuffragium ferre, & ſic cum plurium præſentia, vel ele-
„ ctione fieri conſtitutionem. Sin autem aliter, præter hæc,
„ quæ decreta ſunt, fiat, non valeat ordinatio. Sin autem
„ ex præfinito Canone facta fuerit conſtitutio, aliqui autem
„ propter ſuum contentionis ſtudium contradicant, vincat plu-
„ rium ſuffragium. *Sardicenſis Synodi Canon. 6. Oſius Epiſco-*
„ *pus dixit.* Si contigerit in una Provincia, in qua ſunt plu-
„ rimi Epiſcopi, unum Epiſcopum remanere, & ille per
„ quamdam negligentiam nolit convenire, & Epiſcoporum
„ Conſtitutioni aſſentiri: Congregata autem Populi multitu-
„ do ſuadeat, & inſtet, ut fiat Conſtitutio Epiſcopi, qui ab
„ eis quæritur, oportet illum prius, qui remanſit, Epiſcopum
„ admoneri per Literas Exarchi Provinciæ, dico autem Epi-

„ ſcopi

„ ſcopi Metropolitani, quod vult Populus ſibi Paſtorem dari,
„ & exiſtimo recte habere, hunc quoque admitti ut adſit, &
„ cum ipſo conſtitutio fiat; ſin autem literis rogatus non ad-
„ fuerit, ſed neque reſcripſerit, Populi voluntati ſatisfaciat.

13. Quod etiam in unaquaque Provincia Epiſcopis Metropolitanus præeſſe debeat, & nihil magni momenti ſine ejus ſententia Epiſcopis aggredi liceat, ex ſequentibus Canonibus patet. Apoſtolorum Canon 34. „ Epiſcopos unjuſcujuſque gen-
„ tis noſſe oportet eum, qui in eis eſt primus, & exiſtima-
„ re ut Caput, & nihil facere quod ſit arduum, aut magni
„ momenti præter illius ſententiam; illa autem ſolum facere
„ unumquemque, quæ ad ſuam Parochiam pertinent, & Pa-
„ gos, qui ei ſubſunt, ſed nec ille abſque omnium ſententia
„ aliquid agat; ſic enim erit concordia, & glorificabitur Deus
„ per Dominum Jeſum Chriſtum in Spiritu Sancto. *Antioche-*
„ *næ Synodi Canon.* 9. Epiſcopos, qui ſunt in unaquaque Pro-
„ vincia, ſcire oportet, Epiſcopum, qui præeſt Metropoli,
„ etiam curam ſuſcipere totius Provinciæ: eo quod in Me-
„ tropolim undequaque concurrunt omnes, qui habent nego-
„ tia; unde viſum eſt eum quoque honore præcedere; reli-
„ quos autem Epiſcopos nihil magni momenti aggredi ſine ipſo,
„ ut vult qui ab initio obtinuit Patrum Noſtrorum Canon;
„ vel ſola, quæ ad uniuſcujuſque Parochiam conferunt, &
„ regiones, quæ ei ſubſunt. Unumquemque enim Epiſcopum
„ habere ſuæ Parochiæ poteſtatem, & adminiſtrationem pro
„ conveniente unicuique religione, & totius Regionis curam
„ gerere, quæ Urbi ſubeſt. Ut etiam ordinent Presbyteros,
„ & Diaconos, & unaquæque cum judicio tractent, & nihil
„ ultra facere aggrediantur ſine Metropolis Epiſcopo, et ipſe
„ ſine reliquorum ſententia.

14. Quum devaſtatis per Infideles Antiocheni Throni Diæceſibus, non amplius ſervetur antiqua Provinciarum diviſio, nec ſuperſint Metropolitani, qui ſubjectas Epiſcoporum Provincias, ut ſupra dictum eſt, regant, & adminiſtrent, ſed ſo-
lus

lus Reverendiſſimus Dominus Patriarcha omnibus ſui Patriarchatus, & Nationis Metropolitis, & Epiſcopis præſit, in eoſque Patriarchicam, Primatialem, & Metropoliticam juriſdictionem exerceat, Metropolitanis autem nil aliud ſupra Epiſcopos concedatur, niſi honoris titulus, & in conſeſſibus primus locus; idcirco decernimus & ſtatuimus, ut quæcumque de Metropolitanis ſupra allegata ſunt, & infra producentur, ad ſolum Reverendiſſimum Dominum Patriarcham reſtricta ſint, donec reſtituta Orienti pace ſedes Primatiales, & Metropoliticæ in ſuum priſtinum ſplendorem, Deo favente, reſtituantur.

15. Ad Reverendiſſimum igitur Dominum Patriarcham ſolum jure præſenti ſpectat Metropolitanorum, & Epiſcoporum Electio, & Conſecratio, requiſito tamen conſilio, & aſſenſu Synodi Epiſcoporum, & Metropolitarum, non ad alios Epiſcopos, multoque minus ad Populum, aut cujuſuis Ordinis ſeculares poteſtates; ut dòcet Sacroſancta Tridentina (*Seſs.* 23. *cap.* 4. *&* *can.* 7.) Synodus: *In Ordinatione Epiſcoporum, Sacerdotum, & cæterorum Ordinum nec Populi, nec cujuſuis Secularis Poteſtatis, & Magiſtratus conſenſum, ſive vocationem, ſive autoritatem requiri, ut ſine ea irrita ſit Ordinatio.* Quia tamen æquum eſt, ut qui præponendus eſt omnibus, ab omnibus eligatur, ideo antiqua conſuetudo apud nos in Oriente obtinuit, ut Reverendiſſimus Dominus Patriarcha Cleri Primatumque illius Civitatis, cujus futurus eſt Epiſcopus, deſideria, ac voluntatem exquirat, & ex illis, quos ipſi poſtulaverint, quem ipſe cum aſſenſu, & conſilio Synodi voluerit, eligat, vel, illis rejectis, alios ſibi magis idoneos proponi jubeat; vel ſaltem ab ipſo Reverendiſſimo Domino Patriarcha, ac Synodo Epiſcoporum, & Metropolitarum deſignatam perſonam a Clero, & Populo ejus Diœceſis approbari curet, antequam illum ordinet: ſic enim in Pontificali legitur. (*Pontifical. in ordinat. Epiſcopi & Metropolitan.*) *Præmiſſa exacta probatione & exquiſito examine, tradent Electo Diœceſani ejus*

ſuffra-

Suffragium propria ſubſcriptione firmatum. Et Eccleſiaſtico uſu probata eſt illa (*Novella* 123. *Juſtiniani. Imp.*) Juſtiniani Imperatoris Conſtitutio. *Sancimus, quoties opus fuerit Epiſcopum ordinari, Clericos, & Primates Civitatis, cujus eſt futurus Epiſcopus ordinari, mox in tribus perſonis decreta facere. At ex tribus perſonis pro quibus talia Decreta facta ſunt, melior ordinetur, electione, & periculo Ordinantis*. Hac autem in re non Populi tumultuantis exquiri debent ſuffragia, ſed Epiſcoporum Reverendiſſimo Domino Patriarchæ aſſiſtentium, Presbyterorum, Clericorumque, ac Primatum illius Diæceſis, cui eſt præficiendus Epiſcopus, quemadmodum ex ſequentibus Canonibus (*Laodicen. Can.* 12. & 13.) compertum eſt: „ Ut Epiſcopi Metropolitanorum, & eorum, qui ſunt circumcirca, Epiſcoporum judicio, in Eccleſiaſtico Magiſtratu conſtituantur diu examinati, & in ratione Fidei, & in bene moratæ vitæ converſatione. Turbis non eſſe permittendum eorum, qui ſunt in ſacerdotio conſtituendi, electionem facere. „ Si quis autem ſecularibus poteſtatibus uſus, per eas Reverendiſſimum Dominum Patriarcham compulerit, ut ſibi Epiſcopatum largiatur, Excommunicationem ipſo facto incurrat tam ipſe, quam Seculares, qui operam ei, favorem, aut auxilium quomodocumque præbuerint. Ait enim Nicæna (*Nicæn.* 2. *can.* 3.) ſecunda Synodus. „ Omnis Electio a „ Principibus facta Epiſcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi, irrita maneat, ſecundum regulam (*Canon. Apoſtolor.* 30.) quæ „ dicit: Si quis Epiſcopus Secularibus Poteſtatibus uſus, Eccleſiam per ipſos obtineat, deponatur, & ſegregentur omnes qui „ illi communicant; oportet enim, ut qui provehendus eſt in „ Epiſcopum, ab Epiſcopis eligatur, quemadmodum Sanctis „ Patribus, qui apud Nicæam convenerunt, in regula definitum eſt, quæ (*Nicæn. can.*) dicit: Epiſcopum convenit maxime quidem ab omnibus, qui ſunt in Provincia, Epiſcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter „ inſtantem neceſſitatem, aut propter itineris longitudinem, „ tribus

„ tribus tamen omnimodis in id ipſum convenientibus, & aliis „ per literas conſentientibus, tunc conſecratio fiat. Firmi- „ tas autem eorum, quæ geruntur per unamquamque Provin- „ ciam, Metropolitano tribuatur Antiſtiti.

16. Si in quibuslibet Eccleſiæ gradibus providenter. (*Trident. ſeſs. 24. Cap. 1. de Reform.*) ſcienterque curandum eſt, ut in domo Domini nihil ſit inordinatum, nihilque præpoſterum; multo magis elaborandum eſt ut jn Electione ejus, qui ſupra omnes gradus conſtituitur, non erretur: Nam totius Familiæ Domini ſtatus, & ordo nutabit, ſi quod requiritur in corpore, non inveniatur in Capite. Quum igitur a ſacris Conciliis (*Trid. ſeſs. 6. cap. 1. ſeſs. 7. cap. 1. & 3. ſeſs. 22. cap. 2., & ſeſs. 24. cap. 1. Cap. Quum in cunctis. de elect. diſt. 1.*) & ſanctis Patribus pro promovendis ad Epiſcopales, vel Metropolitanas Eccleſias multa ſint utiliter decreta, Nos illis inhærentes, eaque, ſi opus eſt, renovantes, ſtatuimus, ut quum primum Eccleſia vacaverit, preces publice, privatimque per Civitatem & Diæceſim habeantur, quibus Clerus, Populuſque bonum a Deo Paſtorem valeat impetrare. Omnes verò & ſingulos, qui ad promotionem, ſeu poſtulationem Præficiendorum quodcumque jus quacumque ratione habeant, aut alioquin operam ſuam præſtant, hortamur, & monemus, ut in primis meminerint, nihil ſe ad Dei gloriam, & Populorum ſalutem utilius poſſe facere, quam ſi bonos Paſtores, & Eccleſiæ gubernandæ idoneos promoveri ſtudeant, eoſque alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium ſuggeſtionibus, ſed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint, quorum prior vita, ac omnis ætas a puerilibus exordiis ad perfectiores annos per diſciplinæ ſtipendia Eccleſiaſticæ laudabiliter acta teſtimonium præbeat, & quos ex legitimo matrimonio natos vita, ætate, doctrina, atque aliis omnibus qualitatibus præditos ſciant, quæ juxta Sacros Canones requi-

irequruntur: Qui demum ſcientia ejuſmodi polleant, ut muneris ſibi injungendi neceſſitati poſſint ſatisfacere, & in ſacro Ordine antea ſaltem ſex menſium ſpatio conſtituti ſint. Ætas in Epiſcopo non debet eſſe minor annis triginta. Non ex Neophyto Epiſcopus ordinetur, ſive Neophytus ſit in Fide, ſive in Ordine; ſed oportet illum per omnes Eccleſiaſticos gradus definitis temporibus vitam agendo inculpatam ſic tranſegiſſe, ut (*Concil. Conſtantinopolit.* iv. *can.* 5.) Cantoris, & Lectoris munere annum, in Subdiaconi duos, in Diaconi tres, in Sacerdotis quatuor annos expleat, vel ſaltem (*Trident. ſeſs.* 24. *cap.* 1.) in ſacro Diaconatus Ordine ſex menſium ſpatio miniſtraverit. *Pie* vero, diuque in Monachorum Ordine verſatis, tempora a Patriarcha contrahi poſſunt. Quarum rerum inſtructio, ſi ejus, qui nominatur, aut poſtulatur, notitia nulla, aut recens apud Reverendiſſimum Dominum Patriarcham fuerit, ab ejuſdem Patriarchæ Vicario, vel Archipresbytero illius Diæceſis, aut Ordinario loci, aut a viciniore Ordinario ſumatur. Omnes autem illi, a quibus inſtructio, ſeu teſtificatio de Natalibus, ætate, moribus, & vita Electi, ſeu Nominati erit ſumenda, hæc fideliter, & gratis referre teneantur, alioquin eorum conſcientias graviter oneratas eſſe ſcient, ac Deum, & Superiores ſuos habebunt ultores. Tres vero, vel duo ſaltem graves, idonei, boni, & docti viri de ſupradictis perſonæ promovendæ qualitatibus ab Officiali aliquo ad id a Reverendiſſimo D. Patriarcha deputando diligenter examinandi ſunt, ſive in Diœceſi, ad quam ille promovendus eſt, ſive in Cella Patriarchali; ita tamen, ut quum deinde hoc examen, ſeu inquiſitio de perſona promovenda perfecta fuerit, ea in Inſtrumentum publicum redacta cum toto teſtimonio, ac Profeſſione Fidei ab eo facta, tradatur Reverendiſſimo D. Patriarchæ, aut ſi ille abſens fuerit, ad ipſum quamprimum transmittatur, ut ipſe Reverendiſſimus D. Patriarcha plena totius negotii, ac perſonarum habita notitia, pro Gregis Dominici commodo de illis, ſi idonei per examen, ſeu per inquiſi-

quiſitionem factam reperti fuerint, Eccleſiis poſſit utilius providere. Omnes vero inquiſitiones, informationes, teſtimonia, ac probationes quæcumque de Promovendi qualitatibus, & Eccleſiæ ſtatu a quibuſcumque etiam in Cella Patriarchali habitæ, a duobus Epiſcopis diligenter examinentur, eorumque ſubſcriptione roborentur, in qua ſinguli affirment, ſe, adhibita accurata diligentia, inveniſſe Promovendos qualitatibus per ſacros Canones requiſitis præditos, ac certo exiſtimare idoneos eſſe qui Eccleſiis præficiantur. Poſtremo, quum hæc res antæ magnitudinis ſit, ut numquam ſatis cautum de ea videatur, non poſſumus non commemorare, nihil magis Eccleſiæ Dei eſſe neceſſarium, quam ut Reverendiſſimus Dominus Patriarcha, quam ſollicitudinem univerſæ noſtræ Eccleſiæ, & Nationis ex muneris ſui officio debet, eam hic potiſſimum impendat, ut lectiſſimos tantum Examinatores, & Scrutatores Epiſcopos ſibi adſciſcat, & bonos maxime, atque idoneos Paſtores ſingulis Eccleſiis præficiat, idque eo magis, quod Ovium Chriſti ſanguinem, quæ ex malo negligentium, & ſui officii immemorum Paſtorum regimine peribunt, Dominus Noſter Jeſus Epiſcopus de manibus ejus ſit requiſiturus.

17. Ne quid ex diuturna Eccleſiarum vacatione detrimentum Epiſcopales Throni patiantur, Electiones, Ordinationeſque Epiſcoporum ultra tres menſes non differantur. Eccleſiarum autem vacantium Bona per Archidiaconum, ſeu Æconomum recte fideliterque adminiſtrentur uſque ad novi Epiſcopi enhtroniſmum, quemadmodum ſacra Chalcedonenſis Synodus definivit (*Chalced can.* 25.) in hæc verba. *Quoniam nonnulli Metropolitani, ut ſæpe a nobis auditum eſt, & Greges ſibi commiſſos negligunt, & Epiſcoporum Ordinatioues differunt, ſanctæ Synodo placuit, ut intra tres menſes Epiſcoporum Ordinationes fiant, niſi inexcuſabilis utique neceſſitas effecerit, ut dilationis tempus prorogetur. Si autem hoc non fecerint, eos Eccleſiaſticæ pœnæ ſubjici. Viduæ verò Eccleſiæ redditum, apud Eccleſiæ Æconomum ſalvum cuſtodiri*. Si verò a

 Reve-

Reverendiſſimo Domino Patriarcha Electus intra tres menſes munus Conſecrationis non ſuſceperit, omnium fructuum Sedis Epiſcopalis, quos Æconomus poſt ultimi Epiſcopi obitum ſepoſuerit, perceptione privetur. Sin autem (*Trident. ſeſſ.* 23. *cap.* 2. *Et ſeſſ.* 7. *cap.* 9.) intra alios tres menſes, ſive ſexto ab Electionis ſuæ menſe, id facere neglexerit, Eccleſia Epiſcopali ſit ipſo jure privatus, & alium ejus loco Reverendiſſimus Dominus Patriarcha eligat, conſecretque. Idem dicendum eſt de eo, qui, conſecratione accepta, ad Eccleſiam ſibi commiſſam ire detrectaverit, juxta Antiochenæ (*Antiochen. can.* 17.) Synodi decretum: „ Si quis Epiſcopus per manus „ impoſitionem Epiſcopatum acceperit, & præeſſe populo con„ ſtitutus, miniſterium ſubire neglexerit, nec acquieverit ire „ ad Eccleſiam ſibi commiſſam, hunc oportet communione „ privari, donec ſuſceperit coactus officium, aut certe de eo „ aliquid integra decreverit ejuſdem Provinciæ Synodus Sa„ cerdotum. „ Poſt ſex nimirum a Conſecratione menſes, ſi juſſus, ad Eccleſiam ſuam ire non acquieverit, Epiſcopali honore, ac dignitate privetur, aliuſque in ejus locum conſecretur. Conſecratio vero Electi Epiſcopi ab ipſo Domino Patriarcha fiat, aut ejus juſſu a tribus Epiſcopis in Eccleſia Patriarchali; Quod ſi neceſſitas poſtulaverit, & ipſe Reverendiſſimus Dominus Patriarcha probaverit, ut extra Eccleſiam Patriarchalem fiat Conſecratio in Eccleſia, ad quam ille promotus fuerit, aut in Provincia, ſi commode fieri poterit, celebretur; ſic tamen ut ſpeciale mandatum ab eodem Patriarcha ſubſcriptum detur, & illud ante ipſam Conſecrationem Epiſcopo Conſecranti, aliiſque Aſſiſtentibus exhibeatur, atque prælegatur. Fructuum autem Eccleſiæ vacantis, quos Æconomus, ut ſupra dictum eſt, poſt ultimi Epiſcopi mortem uſque ad Novi enthroniſmum cuſtodierit, ac ſepoſuerit, medietas quidem Eccleſiæ Patriarchali de more applicetur, & ex altera medietate, pars in uſum Eccleſiæ Epiſcopalis cedat, & pars altera novo Epiſcopo tradatur.

18. Omnis

18. Omnis Epiſcopus (*Juſtinian. Novell.* 123 *alias* 127. *ad Petrum Præfectum prætorio. De Adminiſtratione*) gratis ordinetur, eo, qui dat, vel accipit, vel intervenit, Sacerdotium amittente, præterquamquòd etiam id, quod datum fuerit, Eccleſiæ applicabitur. Quod ſi laicus eſt, qui accipit, duplum ejus, quod datum fuerit, Eccleſiæ reſtituet. Qui vero cautionem hoc nomine acceperit, & ipſam reſtituet, & ſummam ſolvet quantum illa continet. Quia vero tam Cathedratici, quam conſuetudinum nomine ſolent Epiſcopales, & Metropolitanæ Eccleſiæ, Matrem ſuam Patriarchalem venerantes, eidem certam ſummam perſolvere; idcirco qui a Patriarcha ordinantur Metropolitani, ſeu Epiſcopi, debent eidem pro Literarum Synodicarum expeditione, ſine quibus Eccleſiæ adminiſtrationem ſuſcipere nequeunt, certam ſummam pro majori, vel minori ipſarum Eccleſiarum redditu & proventu taxandam ſolvere, ſic tamen, ut decimam redituum annuorum partem non excedat; idque, ut diximus, non ratione Ordinationis, ſed titulo Cathedratici. Quæ quidem ſumma partim in Eccleſiæ Patriarchalis beneficium cedat, partim in Clericorum, & Officialium ipſius Reverendiſſimi Domini Patriarchæ uſum.

19. Quum debeat (*Trid. ſeſs.* 23. *Cap.* 1.) Epiſcopus in Eccleſia ſua reſidere, ut Oves ſuas agnoſcere, pro illis Sacrificium offerre, verbique Divini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omnium operum exemplo Gregem ſibi creditum paſcere, & in cætera munia Paſtoralia incumbere poſſit; idcrico mandamus, ut unuſquiſque in Eccleſia Epiſcopali, ſeu Metropolitana, ad quam ordinatus eſt, ordinariam ſuam reſidentiam faciat, ibique Clerum ad Eccleſiæ ſervitia neceſſarium pro uniuſcujuſque loci facultate habeat, Archipresbyterum, nimirum, Presbyteros, Archidiaconum, Diaconos, Subdiaconos, alioſque Clericos minores. Si quis verò ad titulum Urbis ordinatus ſit, in quam vel ob exiguum numerum Chriſti Fidelium, vel ob Gubernatorum a noſtra

Fide

Fide alienorum potentiam reſidere, ſuamque Cathedram ponere nequeat; ſtatuimus, ut omnino, ſedem figat in ejuſdem Urbis Territorio, ubi Fideles reperiuntur, ac tuto commorari, Paſtoriſque munia libere exercere ipſi permiſſum ſit; ad quem finem ſibi deligat Pagum commodiorem, & frequentiorem ejuſdem Diæceſis, ibique ſive in Monaſterio, ſive extructo Epiſcopio maneat non diſceſſurus, niſi quum Diæceſim eſt viſitaturus, aut ad Reverendiſſimum Dominum Patriarcham ſtatis temporibus pro Synodo celebranda, vel pro urgentibus neceſſitatibus profecturus. Ab ea verò reſidentia, ſeu a Diœceſi, exceptis ut ſupra enumeratis cauſis, ultra tres menſes abeſſe nequeat juxta Synodi Tridentinæ decretum, quod ſupra laudavimus, (*Par.* 2. *cap.* 13. *de Sacram ordinis can.* 14.) ſub pænis ibidem contentis.

20. Antiqua (*Sozomen. hiſtor. Eccles. lib.* 6. *cap*, 22. *ſupra hoc cap. Can.* 3.) in noſtro Patriarchatu Antiocheno conſuetudo obtinuit, ut nonnulli Monaſteriorum Præfecti, ſeu Monachi Epiſcopali Ordinatione ornentur, non alicujus Urbis, aut Diæceſis, ſed honoris dumtaxat cauſa, tamquam ad repenſanda eorum præclara facinora. Quia vero poſtquam Epiſcopi hujuſmodi Ordinationis munus acceperunt, ſua ſorte non contenti, Diæceſes etiam regendas, & adminiſtrandas expoſcunt, eæque, ſi datæ ipſis fuerint, neceſſe eſt, ut a proprio Epiſcopo ſubtrahantur, & multa inde incommoda ſequuntur, tum quia præter modum, ac neceſſitatem numerus Epiſcoporum augetur, tum quia rixæ, contentioneſque de Territoriis uni Epiſcopo ablatis, & alteri traditis inter ipſos Epiſcopos oriuntur, tum etiam quia hoc modo Diæceſes in tot fruſta ſciſſæ ſic minuuntur, ut neque Epiſcopo pro dignitate ſuſtentando ſufficiant; Ideo Synodali hoc decreto mandamus, Primò: ut Epiſcopi ad regendas Diæceſes ordinati tot numero ſint, quot Diæceſes ad Epiſcopos honeſte alendos ſatis ſint. Secundo, ut in poſterum nulla Diæceſis dividatur, neque ejus pars alteri tradatur, ſed ſuo integre Epiſcopo maneat. Tertio: ut qui ordinan-

dinantur, tamquam Reverendiſſimi Domini Patriarchæ Suffraganei, vel honoris cauſa Titulo Epiſcopali Monaſteriis præficiuntur, voveant, ſpondeant, ac promittant, ſcriptamque dent cautionem in Archivo Patriarchali conſervandam, quod nullam diæceſim, ſeu Diæceſis partem a Reverendiſſimo Domino Patriarcha ſint poſtulaturi aut per ſe, ſeu per interpoſitam perſonam procuraturi, neque acceptaturi, niſi proprio viduata ſit, vel per obitum, vel per aſſumptionem ad alios gradus, Paſtore. Qui ſecus fecerit, aut Reverendiſſimum Dominum Patriarcham quocumque modo ad hoc Synodale Decretum violandum induxerit, ſit ipſo facto ſuſpenſus, nec a quoquam abſolvi poſſit, niſi de Synodi Epiſcoporum aſſenſu, & niſi Epiſcopo illius Diæceſis liberum conſenſum præbente.

21. Hic autem Dignitati Epiſcopali conſulere volentes, in memoriam Reverendiſſimo Domino Patriarchæ revocamus antiquos Patrum noſtrorum Canones, quibus præcipitur, non eſſe ordinandos Epiſcopos niſi pro ampla Diæceſi, quæ Epiſcopum etiam, ejuſque Clerum honeſte ſuſtentare valeat; Diæceſes ipſas nullatenus eſſe inter plures Epiſcopos dividendas. Sic enim præſcribit Concilium Laodicenum: (*Laodicen. can.* 57.) *Quod non oportet in Vicis, & Pagis Epiſcopos conſtitui, ſed Periodeutas, hoc eſt, Viſitatores.* Et Concilium (*Sardicen. can.* 6.) Sardicenſe „ Non licere ſimpliciter Epiſcopum con„ ſtituere in aliquo Pago, vel parva Urbe, cui vel unus Pre„ sbyter ſufficit. Non neceſſe eſt enim illic Epiſcopum con„ ſtitui, ne Epiſcopi nomen, & auctoritas vilipendatur. Sed „ Provinciæ Epiſcopi debent in iis Urbibus Epiſcopos conſti„ tuere, ubi etiam prius Epiſcopi fuerunt. Si autem inve„ niatur Urbs aliqua, quæ adeo populoſa evadat, ut ipſa E„ piſcopatu digna judicetur, accipiat. „ Tridentina verò Synodus (*Trident. ſeſs.* 14. *Cap.* 9.) non ſolum Epiſcopalium Eccleſiarum, ſed etiam Parochialium diviſiones prohibet: „ Quia jure optimo diſtinctæ fuerunt Diæceſes, & Parochiæ, „ ac unicuique Gregi proprii attributi Paſtores, & inferio-

„ rum

„ rum Eccleſiarum Rectores, qui ſuarum quiſque Ovium cu-
„ ram habeant, ut Ordo Eccleſiaſticus non confundatur, aut
„ una & eadem Eccleſia duarum quodammodo Diæceſeon fi-
„ at, non ſine gravi eorum incommodo, qui illi ſubditi fue-
„ rint. Beneficia unius Diæceſis, etiam ſi Parochiales Eccle-
„ ſiæ, Vicariæ perpetuæ, ant ſimplicia Beneficia, ſeu Præ-
„ ſtimonia, aut Præſtimoniales Portiones fuerint, etiam ratio-
„ ne augendi cultum Divinum, aut numerum Beneficiatorum,
„ aut alia quacumque de cauſa, alterius Diæceſis Beneficio,
„ aut Monaſterio, ſeu Collegio, vel loco, etiam Pio, per-
„ petuo non uniantur. „ Conſtantinopolitana autem Prima Synodus (*Conſtantinopol.* 1. *can.* 2.) jubet unumquemque Epiſcopum ſuam Diæceſim gubernare, & Patriarchis vetat Eccleſias confundere, aut permiſcere; ſeu fines ſuos excedere:
„ Epiſcopi ad Eccleſias, quæ ſunt ultra ſuam Diæceſim, &
„ ſuos limites, ne accedant, neque confundant & permiſce-
„ ant Eccleſias; ſed ſecundum Canones, Alexandriæ quidem
„ Epiſcopus Ægyptum ſolum regat; Orientis autem Epiſco-
„ pi Orientem ſolum adminiſtrent, ſervatis privilegiis ac præe-
„ minentiis, quæ ſunt in Nicæni Concilii Canonibus, Antio-
„ chenæ Eccleſiæ. „ Si vero anguſti, ac tenues ſint Epiſcopatuum reditus, eadem Sancta Tridentina Synodus (*Trident. ſeſſ.* 24. *Cap.* 13.) permittit vicinas Eccleſias uniri, quando novi proventus aliunde haberi nequeant; tantum abeſt, ut approbetur unius tenuis diæceſis in duas diviſio. Quum igitur Cathedralis Eccleſiæ reditus Epiſcopali dignitati nullo modo reſpondent, neque Eccleſiarum neceſſitati ſufficiunt, examinet Reverendiſſimus Dominus Patriarcha in Epiſcoporum Synodo, vocatis iis, quorum intereſt, & diligenter expendat, quas propter anguſtias, tenuitatemque vicinis unire, vel novis proventibus augere expediat, ut ex hujuſmodi acceſſione congruæ ſuſtentationi Epiſcopi, ejuſque Cleri, & Eccleſiæ Cathedralis ſubveniatur, dummodo nihil ab Eccleſiis Parochialibus ſubtrahatur, neque Monaſteria, in quibus viget regularis

gularis obſervantia, Cathedrali uniantur; multoquè minus viciнæ Cathedralis, ſive Epiſcopalis Eccleſiæ unio cum altera Cathedrali fiat. Idem de Eccleſiis Parochialibus dicendum eſt, quarum fructus adeò tenues ſunt, ut debitis nequeant oneribus ſatisfacere; curare nimirum debet Epiſcopus, ſeu Reverendiſſimus Dominus Patriarcha, ſi per Beneficiorum unionem, non tamen Regularium, id fieri non poſſit, ut primitiarum vel decimarum aſſignatione, aut per Parochianorum ſymbola, ac collectas, aut qua commodiori videbitur ratione, tantum redigatur, quod pro Rectoris aut Parochiæ neceſſitate decenter ſufficiat. Sancimus itaque, & communi ſententia pronunciamus, Diæceſes unicuique Epiſcopo tradendas, ſic debere ordinari, ut omnium tenuiſſima Epiſcopum, ejuſque neceſſarium Clerum pro dignitate ſuſtentare valeat. Epiſcopatuum autem & Archiepiſcopatuum titulos, ſedem, numerum, fines, & cætera hujuſmodi in hac Synodo omnium ſuffragiis approbante Reverendiſſimo Domino Patriarcha conſtituimus, & ad calcem iſtarum Synodalium Conſtitutionum apponimus.

22. Sacri Canones vetant, nè Epiſcopus a ſua Diæceſi ad aliam tranſeat, neque alienam Diæceſim invadat. Apoſtolorum (*Apoſt. can.* 14.) Canon. „ Epiſcopo non liceat, ſua „ relicta Parochia, ad aliam tranſilire, etiam ſi a pluribus co- „ gatur, niſi ſit aliqua cauſa rationi conſentanea, quæ eum „ cogat hoc facere, utpote ad majus lucrum, quam poſſit ipſe „ iis, qui illic habitant, pietatis verbo conferre; idque non „ ex ſe, ſed multorum Epiſcoporum judicio, & maxima ex- „ hortatione. „ Ancyranum Concilium. (*Ancyran. can.* 17.) „ Si qui Epiſcopi ordinati ſunt, nec recepti ab illa Parochia „ in qua fuerant denominati, voluerintque alias occupare „ Parochias, & vim Præſulibus earum inferre, ſeditiones „ adverſus eos excitando, hos abjici placuit. Quod ſi voluerint in Presbyterii ordine, ubi prius fuerant, ut Presbyteri reſidere, non abjiciantur propria dignitate. Si autem „ ſeditiones commovent ibidem conſtitutis Epiſcopis, Pres-

„ byterii quoque honor talibus auferatur, fiantque damnatio„ ne notabiles. „ Nicæna Synodus. (*Nicæn.* 1. *Can.* 15.) „ Propter multum tumultum & ſeditiones, quæ fiunt, omni„ no viſum eſt, ut conſuetudo, quæ præter Canonem in„ nonnullis partibus invenitur, tollatur, ut a Civitate in Ci„ vitatem, nec Epiſcopus, nec Presbyter, nec Diaconus tran„ ſeat. Si quis autem poſt ſanctæ, & magnæ Synodi defini„ tionem tale quidpiam aggreſſus fuerit, vel ſe rei ejuſmo„ di dederit, quod factum erit omnino infirmabitur, & Ec„ cleſiæ reſtituetur, cui Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaco„ nus ordinatus fuerit.„ Antiochena Synodus (*Antioch. can.* 16.) „ Si quis vacans Epiſcopus in vacantem Eccleſiam irrumpens, „ ſedem arripuerit abſque perfecta Synodo, is ſit ejectus, „ etiamſi omnis populus, quem invaſit, eum elegerit. Sit au„ tem illa perfecta Synodus, cui una quoque adeſt Metropo„ litanus. „ Eadem Synodus (*Antioch. can.* 24.) „ Epiſco„ pus ab alia Parochia in aliam ne tranſeat, nec ſe ſua ſpon„ te ingerens, nec a populis vi adactus, nec ab Epiſcopis co„ actus; maneat autem in ea, quam a Deo eſt ſortitus, Eccleſia, „ & ab ea non recedat ſecundum decretum prius de ea re „ editum „ Ancyrana Synodus (*Anciran. can.* 8.) „ Si qui „ conſtituti Epiſcopi, & ab illa Parochia, in quam nominati „ fuerunt, non ſuſcepti, alias velint Parochias invadere, & „ iis, qui conſtituti ſunt, vim inferre, & ſeditiones adverſus „ illos excitare, ſegregentur. Sin autem velint in Presbyte„ rio reſidere, in quo prius erant Presbyteri, honore non„ moveantur. Quod ſi adverſus eos, qui illic conſtituti ſunt „ Epiſcopos ſeditiones excitaverint, honor quoque Presbyte„ rii ab eis auferatur, & illi abdicati efficiantur „ Sardicenſis (*Sard. can.* . . . .) Synodus: „ Non tantum mala conſuetu„ do, quantum pernicioſiſſima rerum corruptela eſt ex ipſis „ fundamentis penitus extirpanda, ne cui Epiſcopo liceat a „ parva Civitate in aliam migrare. Ejus enim cauſæ prætex„ tus eſt manifeſtus, propter quem talia aggreditur. Nullus

„ enim

„ enim Epiſcopus adhuc inveniri potuit, qui a majori Civita-
„ te in minorem tranſire ſtuduerit. Unde conſtat eos arden-
„ ti plura habendi cupiditate ſuccendi, & magis arrogantiæ
„ ſervire, ut videantur majorem habere poteſtatem. Ut igi-
„ tur ejuſmodi improbitas acerbius vindicetur, ii ne Laico-
„ rum quidem debent habere communionem. „ Chalcedonen-
ſis Synodus (*Chalced. can.* 5.) „ De Epiſcopis, vel Clericis,
„ qui a Civitate in Civitatem tranſeunt, placuit eos, qui editi
„ ſunt a ſanctiis Patribus Canones vires obtinere. „ Transla-
tiones itaque Epiſcoporum de una Eccleſia in aliam nullate-
nus fiant, neque ſi alia Eccleſia vacet, neque ſi proprium
habeat Epiſcopum, niſi ex cauſis legitimis per ſacros Cano-
nes probatis, idque auctoritate Patriarchæ (*al. Provinciæ*) Sy-
nodi, quemadmodum præſcribitur in Concilio Antiocheno (*An-
tiochen. can.* 18.) „ Si quis Epiſcopus ordinatus non ierit in Paro-
„ chiam, ad quam eſt ordinatus, non ſua quidem culpa, ſed
„ propter populi recuſationem, vel aliquam aliam cau-
„ ſam, quæ a ſe non oritur, is ſit & honoris, & muneris,
„ particeps, dummodo nullam rebus Eccleſiæ, in qua conve-
„ nit, moleſtiam afferat. Is autem id ſuſcipiat, quod perfecta
„ Provinciæ Synodus, eo, quod ad ſe allatum eſt, judicato, ſta-
„ tuerit. „ Et in Concilio Carthaginenſi IV. (*Carthaginen.*
„ *IV. can.* 27) Epiſcopus de loco ignobili ad nobilem per
„ ambitionem non tranſeat, nec quiſquam inferioris ordinis
„ Clericus. Sane ſi illud Eccleſiæ utilitas fiendum popoſce-
„ rit, decreto pro eo Clericorum & Laicorum Epiſcopis por-
„ recto, in præſentia Synodi transferatur; nihilominus alio
„ in loco ejus Epiſcopo ordinato. „ Cauſæ autem Transla-
tionum ſunt. (*can. Mutationes. Can. ſcias & can. temporis
cauſa 7. quæſt.* 1.) Eccleſiæ, ad quam quis transfertur, neceſ-
ſitas, aut utilitas: Eccleſiæ, a qua transfertur, & Cleri, vel Po-
puli, ſeu Optimatum graves cum Epiſcopo inimicitiæ; ita ut
illum ejiciant, vel recipere nolint; ipſius demum Eccleſiæ per
hoſtium incurſiones, aut terræmotum, totalis deſtructio. His

de cauſis, aut una earum concurrente, fieri poteſt, ut ſupra, Epiſcopi de una in aliam Eccleſiam Translatio, ſicut olim factæ fuere nonnullæ ſanctorum Patrum Translationes, ut ſancti Euſtathii e Berœenſi Eccleſia ad Antiochenam, & ſancti Gregorii Theologi e Saſimis Nazianzum, & ex Nazianzo Conſtantinopolim. Cavendum eſt autem ne quis Epiſcopus titulo quidem certæ alligetur Eccleſiæ, re autem ipſa in aliena verſetur Diœceſi. Si enim Reverendiſſimus Dominus Patriarcha judicio Synodi decreverit alicui Epiſcopo quamdam diæceſim juſtis de cauſis regendam tradere, is relicto conſequenter prioris Eccleſiæ titulo, illius poſterioris titulum debet aſſumere, in eaque tamquam in propria ſede, perpetuo manere. Alioquin vel titulum mutet, vel ad priorem redeat; idque ab omnibus Reverendiſſimis Epiſcopis infra ſex menſium ſpatium accurate eſſe obſervandum ſancta Synodus ſtricte præcipit.

23. Si ab una ad aliam Eccleſiam Epiſcopis tranſire non licet, multo magis ipſis prohibetur plures ſimul Metropolitanas, aut Epiſcopales Eccleſias occupare; id quod antiqui Canones præcipiunt, ne quis ſcilicet, in duabus Eccleſiis conſcribatur, aut plurium occupet officiat Clericorum; ac præſertim Decreto (*Lateran. IV. ſub. Innoc. III. ann.* 1215. *can.* 29.) ſacri Lateranenſis Concilii, ac Tridentinæ Synodi (*Seſs.* 24. *cap.* 17.) cavetur, neminem plura Curata Beneficia retinere poſſe, iiſque, qui plures Parochiales Eccleſias, aut unam Cathedralem, & aliam Parochialem obtinent, eadem Synodus præcipit, ut debeant omnino, una tantum Parochiali, vel ſola Cathedrali retenta, alias Parochiales dimittere. De illis verò qui plures Cathedrales occupare præſumunt (*Trident. Seſs.* 7. *cap.* 2.) ſtatuit in hunc modum: „ Nemo, quacumque etiam „ Dignitate, gradu aut præeminentia præfulgens, plures Me- „ tropolitanas ſeu Cathedrales Eccleſias in Titulum, ſeu Com- „ mendam, aut alio quovis nomine contra ſacrorum Cano- „ num inſtituta recipere, & ſimul retinere præſumat; quum „ valde felix ſit ille, cenſendus, cui unam Eccleſiam bene, ac

„ fructuo-

fructuoſe, & cum animarum ſalute ſibi commiſſarum regere contigerit„

24. Ea, quæ Reverendiſſimis Epiſcopis circa alienam Diœceſim ſupra præſcripta ſunt, renovando hæc ſancta Synodus præcipit, ne quis Epiſcopus in aliena Diæceſi Pontificalia munera exerceat, aut in Eccleſia publice doceat, vel prædicet, ſine expreſſa Ordinarii licentia, etiamſi a Clero, vel Populo illius Diæceſis ſit invitatus. Nemo alienæ Diæceſeos Clericum ordinet, neque etiam Laicum ad Ordines ſuſcipiendos in propria Diæceſi admittat, niſi domicilium, ut ſupra, contraxerit, vel niſi Ordinarius conſenſum in ſcriptis dederit. Nemo alienum Presbyterum, aut Diaconum, aut quemcumque Clericum in ſua Diæceſi admittat, aut in ſuſcepto Ordine miniſtrare permittat, niſi Commendatitias proprii Ordinarii exhibeat; neque monachum ſuſcipiat, niſi Teſtimonialibus ſui Abbatis munitus ſit. Nemo Presbyterum, vel Clericum ab aliena Diæceſi ad propriam transferat, ſeu illi in propria Diæceſi officium, aut Beneficium, vel curam animarum conferat, vel eum in propria incardinet Eccleſia, niſi conſenſum dante Ordinario, vel Reverendiſſimo Domino permittente Patriarcha. Nemo Presbyterum, vel Clericum, aut Monachum, ſeu Laicum ab Ordinario ſuſpenſum, vel interdictum, aut excommunicatum abſolvere a Cenſuris, aut cum illo communicare præſumat, niſi proprio conſentiente Ordinario. Nemo appellantes a proprii Tribunali Ordinarii admittat, vel audiat, neque judicatas ab Ordinario ſententias expendat, vel examinet, multoque minus revocet, niſi de conſenſu Ordinarij, vel de expreſſa in ſcriptis Reverendiſſimi Domini Patriarchæ commiſſione. Unuſquiſque igitur propria contentus Diæceſi, in ſubditos tantum Clericos, & Monacos juriſdictionem exerceat, & Populis curæ ſuæ commiſſis jus dicat, ſecundum ſacros Canones; ab alienis autem Clericis omnino abſtineat. Sacroſancta Tridentina Synodus (*Trident. ſeſs. 7. cap. 5.*). *Nulli Epiſcopo liceat cujuſvis privile-*

privilegii prætextu, Pontificalia in alterius Diœceſi exercere, niſi de Ordinarii loci expreſſa licentia, & in perſonas eidem Ordinario ſubjectas tantum, ſi ſecus factum fuerit, Epiſcopus ab exercitio Pontificalium, & ſic Ordinati, ab executione Ordinum ſint ipſo jure ſuſpenſi. Apoſtolorum (*Apoſt. can.* 12.) Canon. *Si quis Clericus, vel Laicus ſegregatus, ſive non recipiendus, diſcedens, in altera Urbe receptus fuerit abſque literis commendatitiis, ſegregetur, & qui excepit, & qui exceptus eſt.* Alius Canon. (*Apoſt. Can.* 32.). *Si quis Presbyter vel Diaconus ab Epiſcopo ſuo ſit ſegregatus, hunc non licere ab alio recipi, ſed ab ipſo, qui ipſum ſegregaverat; niſi forte ſit mortuus is, qui ſegregavit.* Concilium (*Antioch. can.* 2.) Antiochenum. *Non licere communicare cum Excommunicatis, neque in domibus convenientes orare cum iis, qui in Eccleſia non communicant, neque in alia Eccleſia recipi, qui in alia Eccleſia non conveniunt. Si quem autem ex Epiſcopis, vel Presbyteris, vel Diaconis, vel quemlibet ex Canone, cum Excommunicatis communicare apparuerit, eum quoque eſſe excommunicatum, ut qui Canonem Eccleſiæ confundat.* Idem (*idem can.* 22.). *Epiſcopus in alienam Civitatem, quæ ei ſubjecta non eſt, non aſcendat, nec in regionem, quæ ad eum non pertinet, ad alicujus Ordinationem; nec Presbyterum, vel Diaconum conſtituat in locis alii Epiſcopo ſubjectis, niſi cum voluntate proprii illius regionis Epiſcopi.* Sardicenſis (*Sardic. can.* 13.) Synodus. *Si Diaconus, vel Presbyter, vel etiam aliquis ex Clericis ſit excommunicatus, & ad alium Epiſcopum, qui eum novit confugerit, ſcientem eum a proprio Epiſcopo eſſe communione motum, non oportere Epiſcopo, & Fratri ſuo injuriam faciendo, ei communionem præbere.* Eadem Synodus. (*Sard. can.* 15.) *Si quis Epiſcopus ex alia Parochia velit alienum Miniſtrum ſine conſenſu proprii Epiſcopi in aliquo gradu conſtituere, irrita, & infirma ejuſmodi conſtitutio exiſtimetur.* Chalcedonenſe Concilium (*Chalced.can.*20.). *Clericos in Eccleſiis miniſterio fungentes, quemadmodum jam ſtatuimus, non licere in alterius Civitatis*

vitatis Eccleſia ordinari, ſed illa eſſe contentos, in qua ab initio ut miniſtrarent digni habiti ſunt, præter illos, qui amiſſa ſua patria, in aliam Eccleſiam neceſſario tranſierunt. Si qui autem Epiſcopi poſt hoc decretum, Clericum, qui ad alium Epiſcopum pertinet, ſuſceperint, placuit eſſe excommunicatos, eumque, qui ſuſceptus, & eum, qui ſuſcepit, donec Clericus, qui migravit, in ſuam Eccleſiam redeat. Sardicenſis (*Sardic.can.* 11.) Synodus. *Quando Epiſcopus ex alia Civitate, vel ex alia Provincia in aliam Provinciam acceſſerit, jactationis gratia propriis laudibus magis ſerviens, quam Religionis ſanctificationi, & velit longiori tempore illic agere: illius autem Civitatis Epiſcopus Doctrinæ non fuerit peritus, ne illum deſpiciat, & frequentius concionetur, ſtudens dedecore afficere, & vilipendere perſonam Epiſcopi (hic enim prætextus ſolet turbas excitare) nec ejuſmodi calliditate alienam ſedem ſibi conciliare, & attrahere ſtudeat, non dubitans ſibi traditam Eccleſiam relinquere, & in aliam tranſire. Ad hoc ergo tempus definiendum eſt. Nam Epiſcopum non recipi, inhumanum & incivile exiſtimatum eſt. Recordemini autem, Patres noſtros in tempore præterito judicaviſſe, ut ſi quis Laicus in aliqua Urbe agens tribus diebus Dominicis in tribus hebdomadibus non conveniat, is communione moveatur. Si hoc ergo de Laicis ſtatutum eſt, non oportet, nec convenit, ſed neque eſt utile, Epiſcopum, ſi nullam habet graviorem neceſſitatem, vel negotium difficilius, a ſua Eccleſia diutius abeſſe, & ſibi commiſſum Populum deſerere.* Synodus Conſtantinopolitana (*Trullan. anno* 692. *can*:80.) in Trullo. *Si quis Epiſcopus vel Presbyter, vel Diaconus, vel eorum, qui in Clero enumerantur, vel Laicus, nullam graviorem habet neceſſitatem, vel negotium difficile, ut a ſua Eccleſia abſit diutiſſime; ſed in Civitate agens, tribus Diebus Dominicis in tribus ſeptimanis una non conveniat, ſi ſit quidem Clericus, deponatur; ſi verò Laicus ſegregetur.* Eadem (*Trullan. Synodus*). *Ne liceat Epiſcopo in alia, quæ ad ſe non pertinet, civitate publice docere. Si quis autem hoc facere*

cere deprehenſus fuerit, ab Epiſcopatu deſiſtat, Presbyteri autem munere fungatur.

25. Non ſolum prohibetur Epiſcopis in aliena Diæceſi ſine Ordinarii conſenſu Pontificalia exercere, ſed etiam ſacris Canonibus cavetur, ne quis Epiſcopus, ut ſæcularibus curis vel otio ſe tradat, viciniorem Epiſcopum ad ſuam Diæceſim evocatum ibidem diu detineat, ut vices ſuas obeat. Unuſquiſque enim debet per ſe ipſum oves ſuas paſcere, & Epiſcopalia munera exercere, niſi infirmitate detineatur, aut gravi neceſſitate compulſus extra Diæceſim diutius manere cogatur; in quo caſu dumtaxat vel viciniorem Epiſcopum invitare poterit, ut defectus ſuos ſuppleat, vel ſubditos (*Trident. Seſſ.* 23. *Cap.* 3.) ſuos jam probatos, & examinatos ad alium Epiſcopum ordinandos dimittere. Synodus autem Æcumenica Conſtantinopolitana (*Conſtantinop. IV. an.* 870. *can:* 24. *ex interpretat Anaſtaſii Bibliothecarii*) Quarta negligentiam Epiſcoporum in hæc verba perſtringit. „ Quidam Metropolitanorum in extremam negligentiam & deſidiam delapſi, præceptionibus ſuis ſubjectos ad ſe adducunt Epiſcopos, & committunt eis Eccleſiæ propriæ divina Officia, & Litanias, & cuncta omnia, quæ per ſemet alacriter agere debuerint, ac per id eos, qui Epiſcopalem dignitatem meruerunt, quodammodo Clericos ſibi ſubjectos exhibeant. Quiſquis ergo Metropolitanorum poſt hanc Sanctæ ac Univerſalis Synodi definitionem eadem audacia, vel ſuperbia, & contemptu abuſus, non per ſe cum timore, & alacritate, ſeu conſcientia bona debita miniſteria in propria civitate, ſed per ſuffraganeos Epiſcopos ſuos efficere tentaverit, pænas exſolvat coram proprio Patriarcha, & aut corrigatur, aut deponatur.

26. Quum vetitum ſit, Clericos, vel Laicos alienos admittere ſine commendatitiis Ordinarii Epiſtolis, modum in iis tradendis ſacri Canones præſcribunt. In primis ſolius Epiſcopi eſt, Teſtimoniales,

niales, Formatas, Canonicas, Pacificas, ſeu Commendatitias, ac Teſtimoniales, & Univerſales, ſeu Generales Epiſtolas dare: Presbyteris autem non licet illas ſcribere, ſed ſolum Literas ad ipſum Epiſcopum, rogantes eum, ut ſubditis ſuis, vel ſibi notis Clericis, aut Laicis dent ipſi Teſtimoniales. Unde Antiochena (*can.* 8.) Synodus. *Presbyteri, qui ſunt in Pagis, Canonicas Epiſtolas dare non poſſunt; ad ſolos tantum vicinos Epiſcopos Literas deſtinabunt. Chorepiſcopi autem, qui ſunt irreprebenſibiles, dare poſſunt Pacificas, ideſt Generales Epiſtolas.* Et ſecunda Synodus (*Turonen. II. ann.* 567. *can.* 6.) Turonenſis. *Nullus Clericorum, vel Laicorum, præter Epiſcopos, Epiſtolia facere præſumat.* Quod & aliæ Synodi (*Arelaten. I. ann.* 314. *can.* 9. *Aurelianen. II. ann.* 533. *can.* 13. *Eliberina ann.* 305. *can.* 25.) decrevere. Deinde Literæ hujuſmodi non omnibus, nec eodem modo ſunt dandæ; alio enim modo Clericis, & Laicis honoratis ſunt ab Epiſcopo ſcribendæ, & aliter pro pauperibus; nam primæ ſunt ad ſolum Orthodoxæ Fidei, & Communionis Eccleſiaſticæ teſtimonium: aliæ verò etiam ad captivitatis, æris alieni, aut cujuſvis neceſſitatis ſubſidia, ſolatia, & auxilia a Fidelibus imploranda. Utrumque autem Literarum genus diſtinguit Sacra Chalcedonenſis (*Chalc. can.* 4.) Synodus: „ Omnes pauperes, & indigentes „ auxilio, quum proficiſcuntur, ſub probatione Epiſtoliis, vel „ Eccleſiaſticis Pacificis tantummodo commendari decrevimus, „ & non Commendatitiis Literis, propterea quod Commendatitias Literas honoratioribus tantummodo perſonis præſtari conveniat. „ Sicut autem Chriſtianæ (*Hebr.* 1. *Theſſal.* 4.) Hoſpitalitatis præcepto, & Charitate Fraternitatis exigente, jubemur Clericos & Laicos honoratos recipere, atque ad Communionem admittere, nec non Pauperibus, qui tales vere ſunt, ac præſertim propter Chriſti Fidem ad egeſtatem reducti reperiuntur, auxilia dare, vel procurare, ajente Apoſtolo „ Hoſpitalitatem nolite oblviſci, & de charitate Fraternitatis non neceſſe habemus vobis ſcribere „

Ita cavendum omnino eſt, ne indignis, & vagis hominibus Literæ hujuſmodi tradantur, ne falſa pro veris affirmentur, ne Clerici, relictis Eccleſiis ſuis ſine juſta, & legitima cauſa in Terra aliena peregrinentur, aut Laici conjugati deſertis Uxoribus, & filiis alibi vagentur. Nec igitur ſine examine Commendatitiæ hujuſmodi Literæ tradi debent, neque ſine diſcuſſione admitti; quemadmodum Apoſtolico Canone (*Apoſt.can.*34.) Præcipitur „ Nullus Epiſcoporum peregrinorum, aut Presby-„ terorum, aut Diaconorum ſine Commendatitiis ſuſcipiatur „ Epiſtolis. Et quum ſcripta detulerint, diſcutiantur atten-„ tius, & ita ſuſcipiantur, ſi Prædicatores pietatis extiterint; „ ſin minus, nec quæ ſunt neceſſaria ſubminiſtrentur eis, & ad „ communionem nullatenus admittantur, quia per ſubreptio-„ nem multa proveniunt. „ Et concilium (*Eliber.can* 58.) Eliberinum mandat „ Placuit, ut ubique & maxime in eo loco, „ in quo prima Cathedra conſtituta eſt Epiſcopatus, interro-„ gentur hi, qui Communicatorias literas tradunt, an omnia „ rectè habeant, & ſuo teſtimonio comprobent „ Concilium (*Sardicen. can.* 21.) Sardicenſe præcipit eos recipi, qui perſecutionem patiuntur. „ Si aliquis vim perpeſſus eſt, & ini-„ que expulſus pro diſciplina, & Catholica confeſſione, vel pro „ defenſione veritatis effugiens pericula, innocens, & devo-„ tus ad aliam venerit Civitatem, non prohibeatur immora-„ ri, quamdiu aut redire poſſit, aut injuria ejus remedium „ acceperit; quia durum eſt, eum, qui perſecutionem patitur, „ non recipi; etiam & larga benevolentia, & humanitas ei eſt „ exhibenda „ Nullus itaque Peregrinorum ſine Pacificis, ideſt Commendatitiis, ſuſcipiatur Epiſtolis, ut ait Antiochena (*Antioch. can.* 7.) Synodus; ſic tamen, ut iſtæ literæ cum legitima tantum cauſa dentur; & ubi de Fidei Catholicæ profeſſione dubium oriri poteſt, nemo ad Communionem, ſeu ad Ordinis exercitium ab Epiſcopo admittendus eſt, niſi documentum authenticum exhibeat de emiſſa Fidei Orthodoxæ profeſſione, vel niſi eam coram ordinario emittat. Quæſtuarios autem

autem Epiſcopus in ſua Diæceſi non recipiat, neque illis Teſtimoniales ad quæſtum faciendum concedat, niſi attente examinatis cauſis, & ſervato quoad Quæſtuarios Clericos, vel Regulares, Sacri Tridentini (*Trid. ſeſs.* 5. *cap.* 2. *&* *ſeſs.* 21. *cap.* 9.) Concilii Decreto, quo ſtatuitur, ut in quibuſcumque Chriſtianæ religionis locis eorum nomen, atque uſus penitus aboleatur, nec ad officium hujuſmodi exercendum ullatenus admittantur. Sed ſi ob gravem alicujus communitatis Eccleſiaſticæ, vel Regularis, aut Laicæ neceſſitatem Eleemoſynæ ſint petendæ, adhibitis juſſu Ordinarii duobus Eccleſiaſticis Viris, Eleemosynas, atque oblata a Fidelibus charitatis ſubſidia fideliter colligendi facultas detur.

27. De Œconomo, qui vacantis Eccleſiæ Metropolitanæ, ſeu Epiſcopalis Bona adminiſtrare debet, dictum (*hoc cap. Can.* 20.) eſt ſupra. Id autem munus Archidiacono Cathedralis Eccleſiæ adnexum eſt, eique, vita durante, apud nos committitur, ut ſupra diximus. (*Cap.* 2. *can.* 8. *&* 9.)

I. Non ſolum autem vacantium, ſed plenarum etiam Eccleſiarum Res omnes, & Bona ſub Œconomi adminiſtratione, ac poteſtate debent eſſe, idemque expenſas, cenſus, & ratiocinia de omni re, quæ ad Eccleſiam Cathedralem pertinet, recenſere, & bis ſingulis annis rationem ad Epiſcopum referre tenetur. Epiſcopus autem, etſi ſolus ſine Œconomo Bona, proventuſque Eccleſiæ adminiſtrare non permittitur, poteſt tamen rationem adminiſtrationis tum in Sede vacante, ad quam ipſe poſtea promotus eſt, tum Epiſcopatus ſui tempore ab eodem Œconomo exigere, illumque punire, ſi in officio deliquerit, & ſervata judicii forma, adhibitiſque Archipresbyteri ſuffragiis, pro delicti gravitate etiam ſuſpendere ad tempus, ſeu perpetuo privare tam Adminiſtratione, quam Archidiaconatus dignitate, juxta Sacros Canones, atque interim officium illud alteri Diacono, ſeu Presbytero ad tempus committere, , vel alterum Diaconum in depoſiti locum ad Archidiaconatum promovere.

II. Sint

II. Sint autem res propriæ Epiſcopi ab Eccleſiæ rebus diſtinctæ, & quum primum is ad Epiſcopatum evectus eſt, in peculiari Catalogo ab Archidiacono adnotentur, quæ ad Epiſcopum ante Epiſcopatum pertinent; de illis enim poteſtatem habet Epiſcopus quidquid placuerit faciendi, & quomodocumque diſponendi. Secus de rebus ad Eccleſiam pertinentibus; vel de iis Bonis, quæ ex reditibus Epiſcopatus ſibi obvenientibus Epiſcopus comparavit, ſive Stabilia ſint, ſive Mobilia; hæc enim Bona poſt Epiſcopi mortem, ſiquidem Stabilia ſint, ut Proedia, Agri, Domus, Cenſus, ad ſedem Epiſcopalem pertinent; ſi verò Mobilia, ad Cameram Patriarchalem ſpectant ſpoliorum nomine, niſi habuerint a Reverendiſſimo Domino Patriarcha ſpecialem facultatem teſtandi. Nomine autem Spoliorum non veniunt, quæ poſt Epiſcopi obitum relicta ſunt Paramenta Sacra, Vaſa, Miſſalia, ſacri libri, Res Sacræ, & alia ad uſum, & cultum Divinum, etiam in Capellis privatis; neque Scamna, Cathedræ, Arcæ etiam ligneæ, Menſæ, Tabulæ, dolia vinaria, neque alia ſimilia ſupellectilia, quæ ab Œconòmo in Inventario deſcribenda ſunt, ac ſucceſſori reſervanda.

III. Epiſcopus Regularis recuperat jus ſuccedendi in Bonis Paternis, cui in Profeſſione Monaſtica abrenunciaverat, ad favorem tamen ſuæ Eccleſiæ: de quibus Bonis teſtari nequit ſine ſpeciali privilegio Reverendiſſimi Domini Patriarchæ.

IV. Translatus ad aliam Eccleſiam non poteſt deferre libros, & alia, quæ in priori Epiſcopatu ex ejus redditibus acquiſivit, licet in morte ea velit reddere priori Eccleſiæ.

V. De quibus rebus Epiſcopus diſponere valeat, & quomodo Bona Eccleſiæ ab illo ſint adminiſtranda, Sacri Canones docent, qui ſequuntur. Apoſtolorum (*Apoſt.can 37.38.39.*) Canon „ Omnium rerum Eccleſiaſticarum Epiſcopus curam „ gerat, & eas adminiſtret tamquam Deo intuente. Ne liceat „ autem ex eis aliquid ſibi vindicare, vel propriis Cognatis, quæ Dei ſunt, largiri; ſin autem ſint pauperes, ut pau-

„ peribus

„ peribus ſuppeditet; ſed non eorum prætextu vendat, quæ ſunt „ Eccleſiæ. Presbyteri, & Diaconi ſine Sententia Epiſcopi, nihil perficiant: Ipſe enim eſt, cujus fidei populus eſt creditus, & a „ quo de animabus ratio exigetur. Manifeſtæ ſint Epiſcopi res propriæ (ſiquidem res habet proprias), & manifeſtæ res Dominicæ, ut ſit in poteſtate morientis Epiſcopi propria, quibus vult, „ & ut vult relinquere, & non rerum Eccleſiaſticarum prætextu „ res Epiſcopi intercidant, qui nonnunquam Uxorem habet, & „ Liberos, vel Cognatos, vel famulos. Eſt enim juſtum apud „ Deum & homines, ut nec Eccleſia damnum aliquod accipiat „ propter rerum Epiſcopi ignorationem, nec Epiſcopus, vel „ ejus Cognati Eccleſiæ prætextu proſcribantur, vel in negotia „ liteſque incidant, qui ad eum attinent, & ejus mortem maledictis, infauſtiſque verbis proſequantur. Jubemus Epiſcopum „ rerum Eccleſiæ poteſtatem habere: ſi enim pretioſæ hominum „ animæ ſunt ei credendæ, multo magis ei ſunt committendæ „ pecuniæ, ut in ejus ſit facultate omnia adminiſtrare, & iis, qui „ egent, per Presbyteros, & Diaconos ſubminiſtrare cum Dei timore, & omni religione, & etiam, ſi ſit opus, in neceſſarium „ ſuum uſum accipere, & fratrum, qui hoſpitio excipiuntur, ita „ ut ipſe nullo modo egeat, lex enim Dei hoc habet, ut qui Altari aſſident, ex Altari alantur, quandoquidem nec miles „ unquam ſuo viatico adverſus hoſtes progreditur.„ Eadem in Antiochena Synodo definiuntur: „ Quæ ſunt Eccleſiæ ſub „ omni ſollicitudine, & conſcientia bona, & fide, quæ in Deum „ eſt, qui cuncta conſiderat, judicatque, ſerventur; quæ etiam „ diſpenſanda ſunt judicio, & poteſtate Pontificis, cui commiſſus eſt populus, & animæ, quæ in Eccleſia congregantur. „ Manifeſta vero ſint, quæ pertinere videntur ad Eccleſiam, „ cum notitia Presbyterorum, & Diaconorum, qui circa ipſum „ ſunt, ita ut agnoſcant, nec ignorent, quæ ſunt Eccleſiæ propriæ, nec eos aliquid lateat, ut ſi contigerit, Epiſcopum „ migrare de Sæculo, certis exiſtentibus rebus, quæ ſunt Eccleſiæ, nec ipſæ collapſæ depereant, nec quæ propria pro-

„ bantur

„ bantur Epiſcopi ſub occaſione rerum pervadantur Eccleſiæ.
„ Juſtum namque & acceptum eſt coram Deo, & hominibus,
„ ut ſua Epiſcopus quibus voluerit, derelinquat, & quæ Ec-
„ cleſiæ ſunt eidem conſerventur Eccleſiæ, ut nec Eccleſia
„ aliquod patiatur incommodum, nec Epiſcopus Eccleſiæ præ-
„ textu proſcribatur, vel qui ad eum attinent, in cauſas in-
„ cidant, & ipſe poſt obitum maledictionibus ingravetur. Epi-
„ ſcopus Eccleſiaſticarum rerum habet poteſtatem ad diſpen-
„ ſandum erga omnes, qui indigent cum ſumma reverentia
„ & timore Dei. Participet autem & ipſe, quibus indiget, ſi
„ tamen indiget, tam in ſuis, quam in fratrum, qui ab eo
„ ſuſcipiuntur, neceſſariis uſibus profuturis; ita ut in nullo
„ qualibet occaſione fraudentur, juxta ſanctum Apoſtolum
„ ſic dicentem: Habentes victum, & veſtimentum, his con-
„ tenti ſumus. Quod ſi contentus iſtis minime fuerit, con-
„ vertat autem res Eccleſiæ in ſuos uſus domeſticos, & ejus
„ commoda, vel agrorum fructus, non cum Presbyterorum
„ conſcientia, Diaconorumque petractet, ſed horum poteſta-
„ tem domeſticis ſuis, aut Propinquis, aut Fratribus, Filiiſque
„ committat, ut per hujuſmodi perſonas occulte cæteræ læ-
„ dantur Eccleſiæ, Synodo Provinciæ pænas iſte perſolvat.
„ Si autem & aliter accuſetur Epiſcopus, aut Presbyteri, qui
„ cum ipſo ſunt, quod ea, quæ pertinent ad Eccleſiam vel
„ ex agris, vel ex alia qualibet Eccleſiaſtica facultate ſibimet
„ uſurpent, ita ut ex hoc affligantur quidem Pauperes, cri-
„ minationi vero & blaſphemiis tam ſermo prædicationis, quam
„ hi, qui diſpenſant, taliter exponantur, & hos oportet cor-
„ rigi, ſancta Synodo id, quod condecet, approbante. „ Con-
cilium (*Agathen. an.* 506. *Can.* 48. 51.) Agathenſe „ Ut de
„ rebus Epiſcopi propriis, vel acquiſitis, vel quidquid Epi-
„ ſcopus de ſuo proprio habet, hæredibus ſuis, ſi voluerit,
„ derelinquat. Quidquid verò de proviſione Eccleſiæ ſuæ fuerit,
„ ſive de agris, ſive de frugibus, ſive de oblationibus, omnia
„ in jure Eccleſiæ reſervare cenſuimus. Si Epiſcopus condi-
„ to

» to teſtamento, aliquid de Eccleſiaſtici juris proprietate le-
» gaverit, aliter non valebit, niſi tantundem de juris pro-
» prii facultate ſuppleverit. „ Concilium (*Chalced. Can.* 22. 25. 26.) Chalcedonenſe. *Non licere Clericis poſt obitum ſui Epiſcopi res ad eum pertinentes diripere, ſicut antiquis quoque eſt Canonibus conſtitutum. Verumtamen redditus Eccleſiæ viduatæ penes Oeconomum ejuſdem Eccleſiæ integri reſerventur; Quoniam in quibuſdam Eccleſiis (ut rumore comperimus) præter Oeconomos, Epiſcopi facultates Eccleſiaſticas tractant; placuit omnem Eccleſiam habentem Epiſcopum, habere Oeconomum de Clero proprio, qui diſpenſet res Eccleſiaſticas cum conſenſu Epiſcopi proprii; ita ut Eccleſiæ diſpenſatio ſine teſtimonio non ſit, & ex hoc diſpergantur Eccleſiaſticæ facultates, & Sacerdotio maledictionis contumelia ingeratur. Quod ſi hoc minime fecerit, Divinis Conſtitutionibus ſubiacebit.* Concilium (*Trullan. can.* 35.) Trullanum. *Nulli omnium Metropolitanorum liceat mortuo Epiſcopo, qui ejus Throno ſubeſt, res ipſius, vel Eccleſiæ ejus auferre, vel ſibi vindicare, ſed ſint ſub cuſtodia Cleri Eccleſiæ, cui defunctus præfuit, uſque ad alterius Epiſcopi promotionem; præterquam ſi in eadem Eccleſia non relicti ſint Clerici; tunc enim Metropolitanus, ea non diminuta ſervabit, Ordinando Epiſcopo omnia reddens.* Concilium (*Nicæn.* 11. *Can.* XI.) Nicænum ſecundum: Œconomos in unaquaque Eccleſia modis omnibus eſſe præcipit; & ſi quidem Metropolitanus in ſua Eccleſia non conſtituerit Œconomum ex auctoritate propria, jubet eum a Reverendiſſimo Domino Patriarcha præponi; Idipſum Metropolitanis licere ait, ſi Epiſcopi, qui ſub ipſis ſunt, non ſategerint Œconomum ſtatuere in ſuis Eccleſiis.

28. Patriarchæ, Primates, Metropolitani, & Epiſcopi, ut aptius, quem regunt Populum, poſſint in Officio, atque obedientia continere in omnibus iis, (*Trid. ſeſs.* 24. *Cap.* 10.) quæ ad viſitationem, ac morum correctionem ſubditorum ſuorum ſpectant, jus, & poteſtatem habent ea ordinandi, moderandi, puniendi, & exequendi, juxta Canonum ſanctiones, quæ

quæ illis ex prudentia ſua pro ſubditorum emendatione, ac diæceſis ſuæ utilitate neceſſaria videbuntur. Neque in his, ubi de Viſitatione, aut de morum correctione agitur, exemptio, aut ulla inhibitio, appellatio, ſeu querela etiam ad ſedem Patriarchalem, vel Apoſtolicam Romanam interpoſita executionem eorum, quæ ab his mandata, decreta, aut judicata fuerint, quoquomodo impediat, aut ſuſpendat. Propriam autem diæceſim unuſquiſque (*Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 3.) per ſe ipſum, aut ſi legitime impeditus fuerit, per ſuum generalem Vicarium, aut Viſitatorem, ſi quotannis totam propter ejus latitudinem, viſitare non poterit, ſaltem majorem ejus partem; ita tamen, ut tota biennio per ſe, vel viſitatores ſuos compleatur, viſitare non permittat. Viſitationum autem iſtarum præcipuus ſit ſcopus, ſanam Orthodoxamque doctrinam, expulſis hæreſibus, inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, Populum cohortationibus, & admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendere, Clericos in officio continere, Regulares ad perfectam obſervantiam monaſticam adducere, cætera, prout locus, tempus, & occaſio feret, ex Viſitantium prudentia ad Fidelium fructum conſtituere. Quæ ut facilius feliciuſque ſuccedant, monentur prædicti omnes & ſinguli, ad quos Viſitatio ſpectat, ut paterna charitate, Chriſtianoque zelo omnes amplectantur; ideoque modeſto contenti equitatu, famulatuque, ſtudeant quam celerrime, debita tamen cum diligentia, Viſitationem ipſam abſolvere; Interimque caveant, ne inutilibus ſumptibus cuiquam graves, oneroſive (*Concil. Conſtantinop.* IV. *an.* 870. *Can.* 19. *ex interpretatione Anaſtaſii Bibliothecat.*) ſint, neve ipſi, aut quiſquam ſuorum, quidquam procurationis cauſa pro Viſitatione, aut quovis alio nomine, nec pecuniam, nec munus, quodcumque ſit, etiam qualitercumque offeratur, accipiant, non obſtante quacumque conſuetudine etiam immemorabili, exceptis Victualibus, quæ ſibi, ac ſuis frugaliter moderateque pro temporis tantum neceſſitate, & non ultra a Diæceſanis, ſeu Communitati-

nitatibus, vel Monaſteriis, erunt miniſtranda. Sit tamen in optione eorum qui viſitantur, ſi malint ſolvere id, quod erat ab ipſis antea ſolvi, certa pecunia taxata, conſuetum; an vero prædicta Victualia ſubminiſtrare. In iis vero locis, ſeu Provinciis, ubi conſuetudo eſt, ut nec pecunia, nec quidquam aliud a Viſitatoribus accipiatur, ſed omnia gratis fiant, aut Viſitatores apud Parochos, vel loci gubernatorem, ſeu proximum Monaſterium divertant, ibi adſervetur. Quod ſi quiſquam (quod abſit) aliquid amplius in ſupradictis omnibus caſibus accipere preſumpſerit, is præter dupli reſtitutionem intra menſem faciendam, aliis etiam pænis arbitrio Epiſcopi, aut Metropolitani, ſeu Reverendiſſimi Domini Patriarchæ, abſque ulla ſpe veniæ mulctetur. Viſitandæ autem ſunt Eccleſiæ, illarumque ſacra Supellex, Cœmeteria, Hoſpitalia, Monaſteria tam Virorum, quam mulierum, & inſuper examinandi Clerici, Regulares, & Moniales, quemadmodum ad calcem harum Conſtitutionum quæſtiones in Viſitatione indagandæ præſcribuntur.

29. Concilia (*Trid. ſeſs. 24. cap. 2. & ſeſs. 25. cap. 1. & 10.*) tum Diœceſana in unaquaque Epiſcoporum, ſeu Metropolitanorum Diœceſi, tum Provincialia omnium Epiſcoporum, ac Metropolitanorum apud Reverendiſſimum Dominum Patriarcham pro moderandis moribus, corrigendis exceſſibus, controverſiis componendis, aliiſque ex Sacris Canonibus permiſſis, non intermittantur, & ſicubi omiſſa ſunt, omnino renoventur. Quare Reverendiſſimus Dominus Patriarcha quolibet ſaltem Triennio poſt octavam Paſchæ Reſurrectionis D. N. J. Chriſti, ſeu alio commodiori tempore non prætermittat Synodum Epiſcoporum, & Metropolitanorum in ſua Patriarchali Eccleſia cogere, quo Epiſcopi omnes, & Metropolitani, & alii, qui de jure, vel conſuetudine intereſſe debent, exceptis iis, qui legittimè impediti fuerint, convenire omnino teneantur, & quæ ibi ordinata fuerint obſervare ac obſervari facere. Itidem Epiſcopus, vel Metropolitanus quiſque ſemel in anno, vel poſt Paſcha Reſurrectionis, vel menſe octobri, aut alio commodiori tempore Synodum Diœceſa-

ceſanam convocet,in qua Chorepiſcopi, Viſitatores, Archipresbyteri, Parochi, Presbyteri, Diaconi,& Abbates Monaſteriorum interſint, & facta Profeſſione Fidei, quæ correctione, & reformatione digna fuerint, pro religionis, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ, ſeu Monaſticæ augumento emendentur, & ſtatuantur: & aliquot perſonæ ad judicandum aptæ, & idoneæ deſignentur, ut præter Ordinarium, iis etiam Cauſæ Eccleſiaſticæ, ac Spirituales, & ad forum Eccleſiaſticum pertinentes, judicandæ, & delegandæ committantur. Et ſi aliquem interea ex deſignatis mori contigerit, ſubſtituat Ordinarius loci cum conſilio Archipresbyteri, & Archidiaconi alium in ejus locum uſque ad futuram Dioeceſanam Synodum, ita ut habeat quæque Dioeceſis duas ſaltem, vel plures perſonas probatas, quibus hujuſmodi cauſæ a ſede Patriarchali committantur; alioquin poſt deſignationem factam, quam ſtatim Epiſcopus ad Reverendiſſimum Dominum Patriarcham tranſmittat, delegationes quæcumque aliorum Judicum aliis, quam his factæ, ſubreptitiæ cenſeantur. Et antiqui quidem Patres (*Antioch. can.* 20. *Chalced. can.* 19. *Apoſtol. can.* 36. 38. *Nicæn. can.* 5.) noſtri bis in anno per quamcumque Provinciam Concilium Metropolitani, & Comprovincialium Epiſcoporum fieri decreverant, ideſt ſemel ante Quadrageſimam Paſchæ, ut præcipit Nicænum Concilium; & altera vice circa tempus Autumni; vel juxta Antiochenam Synodum, ſemel poſt tertiam Septimanam Feſti Paſchalis, ita ut in quarta Septimana, quæ conſequitur, ideſt medio Pentecoſtes, conveniret Synodus, Metropolitano Comprovinciales Epiſcopos admonente; Secunda vero Synodus fieret Idibus Octobris, ideſt quintodecimo die menſis Octobris. Verum propter fatigationem, & ut opportune haberi poſſent ad iter agendum hi qui congregandi erant, definierunt ſextæ, & ſeptimæ (*Nicæn.* 2. *can.* 6.) Synodi Patres, omni excuſatione remota, modis omnibus ſemel in anno Synodum fieri; id quod poſtremo Sacra Tridentina (*Trid. Seſs.* 24. *Cap.* 2.) Synodus de Dioeceſano Epiſcopi Concilio intelligendum declaravit,

vit, indulgens, ut Provincialia Concilia tertio quolibet Triennio celebrari poſſent. Si quis vero Metropolitanus, aut Epiſcopus neglexerit ſtatuto tempore Concilium convocare abſque neceſſitate, vel vi, ſeu aliqua rationabili cauſa, pænis canonicis eum ſubjicit ſancta Nicæna Secunda (*Nicæn. 2. can. 6.*) Synodus. Similiter quicumque ad Synodum invitati non advenerint Epiſcopi, ſi in ſua incolumitate conſiſtunt, omnique inexcuſabili, & neceſſaria occupatione probantur liberi, fraterno corripi affectu mandat Concilium (*Chalced. can. 19.*) Chalcedonenſe. Idem de Presbyteris, Monachis, aliiſque intelligendum eſt, qui ad Synodum Epiſcopi vocati non acceſſerint. Ordo autem Synodum celebrandi, ad calcem harum conſtitutionum deſcribetur.

30. Unuſquiſque menſuram ſuam teneat ſive Epiſcopus ſit, ſive Metropolitanus; ita ut eorum quidem omnium habeant poteſtatem, qui in ſubjecta ſibi Diœceſi verſantur; non tamen ullam juriſdictionem exercere præſumant in iis, quæ ad Reverendiſſimum Dominum Patriarcham ſpectant, ut ſunt Caſus reſervati, quorum tabulam ſupra deſcripſimus: Item impedimenta Matrimonii, & Ordinis, inquibus ſolus Patriarcha diſpenſare poteſt; Cenſuræ præterea quæcumque ab eodem Patriarcha contra quoſcumque latæ, a quibus nulli omnino liceat ſine expreſſa ejuſdem facultate abſolvere: Jejunia inſuper, & Feſta de præcepto, quæ neque ſubjectæ ſibi Diæceſi imponi debent, neque illis Diœceſis integra, vel Pagus, aut Communitas Secularis, ſive Regularis diſpenſari, & abſolvi ab Epiſcopo, ſeu Metropolitano ſine Patriarchæ licentia. Sed neque in ritu Eccleſiaſtico aliquid addere, vel ex illo detrahere fas eſt cuipiam præter Reverendiſſimi Domini Patriarchæ ſententiam. Qui ſecus fecerit, irrita & invalida ſit illius diſpenſatio, ſeu abſolutio, ſive inſtitutio, & pænas inſuper canonicas in Synodo Patriarchali dabit, ſuſpenſionis ſcilicet ab executione Pontificalium per unum menſem, & alias, quas Synodus decreverit.

31. Non liceat Metropolitano aut Epiſcopo ante ordinationem ab eo, quem ordinare intendit, præter Fidei Catholicæ profeſſionem, & præter ea, quæ in Pontificali præſcribuntur, chirographum, aut pactum aliquod exigere, ſive ad propriam tutelam, & ſtabilitatem, ſive ad obedientiam ſibi ab Ordinando exhibendam, ſive ad aliud quodcumque. Sic enim Sancta Conſtantinopolitana IV. (*Conſtantinop.* IV. *Can.* 8. *&* 9.) Synodus adverſus Photium Sedis illius invaſorem, definit. *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt: omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant, dicit alicubi Paulus magnus Apoſtolus. Igitur quoniam omnia ad utilitatem & perfectionem Sanctæ Dei Eccleſiæ, & nihil omnino per contentionem, vel inanem gloriam facere debemus; & quoniam auditibus noſtris fama ſonuit, quod non ſolum hæretici, & ii qui Sanctæ Conſtantinopolitanorum Eccleſiæ Sacerdotium ſortiti, ſed & Ortodoxi ac legittimi Patriarchæ a Sacerdotali Catalogo propriæ manus ſcripta facere ad propriam tutelam favoremque ſuum, & quaſi ſtabilitatem exigant, & compellant; viſum eſt Sanctæ & Univerſali Synodo, nequaquam id ex hoc a quopiam fieri, excepto eo, quod ſecundum formam, & Conſuetudinem pro ſincera fide noſtra tempore conſecrationis Epiſcoporum exigitur: Quod enim aliter ſit, omnino non expedit, ſed neque ad ædificationem Eccleſiæ pertinet. Quiſquis ergo auſus fuerit ſolvere hanc definitionem noſtram, aut expetierit, aut paruerit expetentibus, honore proprio decidat.* Eadem ſancta Synodus ſubvertendum, & ſolvendum declarat quodcumque vinculum proprii ſcripti a Photio excogitatum & exactum. *Igitur quoniam omnem colligationem iniquitatis ſolvere, & Chirographa violentorum contractuum dirumpere præcipimus; definivit ſancta, & Univerſalis Synodus, neminem ex his omnibus a nunc tale tenere, vel ſervare Chirographum, ſed abſque quolibet offendiculo indubitanter, & intrepide tam docere, quam diſcere omnes, qui ad utrumque conſiſtunt idonei, præter eos, qui erroris inveniuntur, & hæreticæ impietatis ſervituti redacti: hujuſmodi enim certiſſime & docere & diſcere interdici-*

terdicimus. Si quis autem deprehenſus fuerit hanc definitionem noſtram ſpernens, atque prævaricans, ſiquidem Clericus eſt, a proprio gradu decidat, Laicus verò, ſequeſtretur, utpote qui non credit Dominico verbo prohibenti: Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis. Qui igitur hujuſmodi Chirographa ab Ordinandis exigit, ſi quem iis obtentis ordinaverit, ipſe quidem Pontifex ab exercitio Pontificalium per menſem ſuſpendatur ipſo facto; Ordinatus autem per ſex menſes Ordinum ſuorum exercitio careat, aliiſque pænis a Reverendiſſimo Domino Patriarcha imponendis ſubjaceat. Si verò Ordinandus Chirographum ſuum Epiſcopo dare detrectaverit, & ob id Epiſcopus illum non ordinaverit, ſtatuimus, ut Epiſcopus quidem per unum menſem ab exercitio Pontificalium ſuſpendatur; Is vero qui ab illo ordinem ſuſcipere nequivit, ad Reverendiſſimum Dominum Patriarcham recurrat, a quo ſtatim Ordinationis munus accipiet.

32. De iis, quæ ad juriſdictionem pertinent Epiſcoporum, ut ſubjectum ſibi Clerum, & Populum regere, & in vitæ, ac morum honeſtate continere poſſint, multa Patres decrevere, quæ omnino ſunt ſervanda, & nonnulla quidem ad ipſos Epiſcopos ſpectant, ut modum in judiciis ferendis ſervent; alia reos reſpiciunt, quibus prohibetur omnino ab Epiſcopi ſententia ad Laicorum Tribunal (*Concil. Antiochen. can* 11. 12. *Conſtantinop.* 1. *can.*) appellare; permittitur autem, ſed juris ordine ſervato, a proprio Epiſcopo ad Reverendiſſimum Dominum Patriarcham appellare. Quæ enim olim de Synodo (*Antiochen. can.* 14. 15. *Conſtantinop.* 1. *can.* 6.) Provinciali dicta ſunt, ad quam ab Epiſcopi ſententia recurrebatur, ea de Patriarchæ Tribunali nunc intelliguntur, a quo Presbyter, vel Diaconus, vel Clericus per proprium Epiſcopum damnatus iterum audiri, & judicari poteſt; Et quod Canones antiqui præſentiam aliorum Epiſcoporum requirunt, ut Ordinarius contra Clericos ſuos uſque ad Depoſitionem procedere poſſit, id nunc

nunc ſatis eſſe declaratur, ſi Epiſcopus loco aliorum Epiſcoporum adhibeat aſſiſtentes ſibi Abbates uſum Mitræ, & Baculi habentes, vel alias perſonas in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutas. Ex Sacra igitur Tridentina Synodo (*Trid. ſeſs. 13. cap. 1. & 2.*) de Judicii Epiſcopalis forma hæc ſervanda eſſe præcipimus.

I. Illud primum Epiſcopos admonendos cenſet Sancta Synodus, ut ſe Paſtores, non percuſſores eſſe meminerint, atque ita præeſſe ſibi Subditis oportere, ut non in eis dominentur, ſed illos tamquam filios, & Fratres diligant, elaborentque, ut hortando, & monendo ab illicitis deterreant, ne, ubi deliquerint, debitis eos pænis coercere cogantur; quos tamen ſi quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apoſtoli eſt ab eis ſervanda præceptio, ut illos arguant, obſecrent, increpent in omni bonitate, & patientia; quum ſæpe plus erga corrigendos agat benevolentia, quam auſteritas, plus exhortatio, quam comminatio, plus charitas, quam poteſtas. Sin autem ob delicti gravitatem virga opus fuerit, tunc cum manſuetudine rigor, cum miſericordia judicium, cum lenitate ſeveritas adhibenda eſt, ut ſine aſperitate diſciplina populis ſalutaris, ac neceſſaria conſervetur, & qui correcti fuerint, emendentur; aut ſi reſipiſcere noluerint, cæteri ſalubri in eos animadverſionis exemplo, a vitiis deterreantur, quum ſit diligentis, & pii ſimul Paſtoris officium morbis Ovium levia primum adhibere fomenta, poſt, ubi morbi gravitas ita poſtulet, ad acriora & graviora remedia deſcendere; ſin autem ne ea quidem proficiant, illis ſubmovendis, cæteras ſaltem oves a contagionis morbo liberare.

II. Quum igitur Rei plerumque ad evitandas pænas, & Epiſcoporum ſubterfugienda judicia, querelas, & gravamina ſimulent, & appellationis diffugio judicis proceſsum impediant, ne remedio ad innocentiæ præſidium inſtituto ad iniquitatis defenſionem abutantur, atque ut hujuſmodi eorum calliditati, & tergiverſationi occurratur, ita ſtatuit, & decrevit. In cauſis (*Trid. ſeſs. 22. cap. 1. & ſeſs. 24. cap. 20.*) Viſitationis, & Corre-

Correctionis, ſive habilitatis, & inhabilitatis, nec non in Criminalibus, ab Epiſcopo, ſeu illius in ſpiritualibus Vicario Generali, ante definitivam Sententiam, ab interlocutoria, vel alio quocumque gravamine non appelletur; Nec Epiſcopus, ſeu Vicarius appellationi hujuſmodi, tamquam frivolæ, deferre teneatur, ſed ea, & quacumque inhibitione ab Appellationis Judice emanata, nec non omni ſtylo, & conſuetudine, etiam immemorabili, contraria non obſtante, ad ulteriora valeat procedere, niſi gravamen hujuſmodi per definitivam ſententiam reparari, vel ab ipſa definitiva appellari non poſſit; quibus caſibus ſacrorum, & antiquorum Canonum ſtatuta illibata perſiſtant. Latæ autem ab Epiſcopo ſententiæ in Cauſis prædictis teneatur Clericus obedire, etiam quum Appellationi locus fuerit, ut puta ſuſpenſionem, interdictum, & Excommunicationem ab Epiſcopo inflictam ſervare debeat.

III. A ſententia autem (*Trid. ſeſs.* 13. *cap.* 2.) Epiſcopi, vel ipſius in Spiritualibus Vicarii generalis, in Criminalibus Appellationis Cauſa, ubi Appellationi locus fuerit, ſi Reverendiſſimi Domini Patriarchæ auctoritate in partibus eam committi contigerit, committatur uni ex vicinioribus Epiſcopis, ſeu illorum Vicariis, niſi ille aliqua de cauſa ſuſpectus foret, aut ab ipſo appellatum fuerit, aut ultra duas legales diætas diſtet, alioquin alteri vicino Epiſcopo, ſive ejus Vicario, non autem inferioribus Judicibus.

IV. Cauſæ omnes (*Seſs.* 24. *cap.* 20.) ad Forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentes, in prima Inſtantia coram Ordinariis locorum dumtaxat cognoſcantur, & quæcumque negotia in ſuis locis, ubi orta ſunt, finiantur; atque omnino ſaltem infra biennium a die motæ litis terminentur, Alioquin poſt id ſpatium liberum ſit Partibus, vel alteri illarum, Judices ſuperiores, aliàs tamen competentes, adire, qui Cauſas in eo ſtatu, quo fuerint, aſſumant, & quam primum terminari curent: nec antea aliis committantur, nec avocentur; neque Appellationes ab eiſdem interpoſitæ, per ſuperiores quoſcum-

que

que recipiantur, eorumve commiſſio, aut inhibitio fiat niſi a definitiva, vel a definitivæ vim habente, & cujus gravamen, ut ſupra dictum eſt, per Appellationem a definitiva reparari nequeat.

V. Ab his excipiantur (*Seſs* 24. *cap*. 20.) Cauſæ, quæ juxta Canonicas Sanctiones apud ſedem Patriarchalem ſunt tractandæ, vel quas ex urgenti, rationabilique cauſa judicaverit Reverendiſſimus Dominus Patriarcha per ſpeciale reſcriptum manu propria ſubſcribendum committere, aut avocare.

VI. Reus ab Epiſcopo (*Seſs*. 13. *cap*. 3.) aut ejus Vicario in Spiritualibus Generali in Criminali Cauſa appellans, coram Judice, ad quem appellavit, acta primæ Inſtantiæ omnino producat; & Iudex, niſi illis viſis, ad ejus abſolutionem minime procedat. Is autem, a quo appellatum fuerit, intra triginta dies acta ipſa poſtulanti gratis exhibeat, alioquin abſque illis Cauſa Appellationis hujuſmodi, prout juſtitia ſuaſerit, terminentur.

VII. Quum verò (*Seſs*. 13. *cap*. 4.) tam gravia nonnunquam ſint delicta ab Eccleſiaſticis commiſſa perſonis, ut ob eorum atrocitatem a Sacris Ordinibus deponendæ ſint, in quo, ſecundum ſacros Canones (*Antiochen. canon*. 12.) certus Epiſcoporum numerus requiritur, ut ſupra (*Par*. 2. *cap*. 6. *Can*. 5.) dictum eſt; quos ſi omnes adhibere difficile eſſet, debita juris executio differretur; ſi quando autem intervenire poſſent, eorum reſidentia intermitteretur; Propterea Sancta Synodus ſtatuit, & decrevit, Epiſcopo per ſe, ſeu ejus Vicarium in Spiritualibus generalem contra Clericum in ſacris etiam Presbyteratus ordinibus conſtitutum, etiam ad illius condemnationem, nec non verbalem depoſitionem, & per ſeipſum etiam ad actualem atque ſolennem degradationem ab ipſis ordinibus, & gradibus Eccleſiaſticis in caſibus, in quibus aliorum Epiſcoporum præſentia in numero a Canonibus definito requiritur, etiam abſque illis procedere liceat, adhibitis tamen, & in hoc ſibi aſſiſtentibus totidem Abbatibus uſum

Mi-

Mitræ, & Baculi ex Privilegio Apoſtolico habentibus, ſi in civitate, aut Diæceſi reperiri, & commode intereſſe poſſint, alioquin aliis perſonis in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutis, quæ ætate graves, ac Juris ſcientia commendabiles exiſtant.

VIII. Et quoniam (*Trid. ſeſs.13.cap.5.*) per fictas cauſas, quæ tamen ſatis probabiles videntur, interdum accidit, ut nonnulli ejuſmodi gratias a Reverendiſſimo Domino Patriarcha, aut a ſede Apoſtolica extorqueant, per quas pænæ illis Epiſcoporum juſta ſeveritate inflictæ, aut remittuntur omnino, aut minuuntur; idcirco eadem Synodus ſtatuit, fas eſſe Epiſcopo apud Eccleſiam ſuam reſidenti, per ſe ipſum, etiam ſummarie cognoſcere de ſubreptione, & obreptione gratiæ, quæ ſuper abſolutione alicujus publici criminis vel delicti, de quo ipſe inquirere cæperat, aut remiſſione pænæ, ad quam criminoſus per eum condemnatus fuerat, falſis precibus impetratur: ipſamque gratiam, poſtquam per falſi narrationem, aut veri taciturnitatem obtentam eſſe legittimè conſtiterit, non admittat.

IX. Cauſæ Matrimoniales (*Seſs.* 24. *cap.* 20.) & Criminales non Archidiaconi, aut Archipresbyteri, ſeu Chorepiſcopi, vel Periodeutæ judicio, ſed Epiſcopi tantum examini, & juriſdictioni relinquantur, coram quo ſi Pars vere paupertatem probaverit, non cogatur extra Provinciam, nec in ſecunda, nec in tertia Inſtantia in eadem Cauſa Matrimoniali litigare, niſi Pars altera & alimenta, & expenſas litis velit ſubminiſtrare. Vicarii autem Reverendiſſimi Domini Patriarchæ non ſolum Epiſcopos in prædictis cauſis impedire, aut aliquo modo eorum juriſdictionem iis præripere, aut turbare non præſumant, ſed nec etiam contra Clericos, aliaſve Perſonas Eccleſiaſticas, niſi Epiſcopo prius requiſito eoque negligente, procedant, alias eorum Proceſſus, ordinationeſve nullius momenti ſint, atque ad damni ſatisfactionem partibus illati teneantur.

X. Si quis (*ibidem*) in Caſibus a jure permiſſis appella-

verit, aut de aliquo gravamine conqueſtus fuerit, ſeu alias ob lapſum biennii, de quo ſupra, ad alium Judicem recurrerit, teneatur Acta omnia coram Epiſcopo geſta ad Judicem Appellationis expenſis ſuis transferre, eodem tamen Epiſcopo prius admonito, ut ſi quid ei pro Cauſæ inſtructione videbitur, poſſit Judici Appellationis ſignificare. Porro ipſam Actorum copiam teneatur Notarius, congrua mercede accepta, Appellanti quantocitius, & ad minus intra menſem, exhibere; Qui Notarius, ſi in differenda exhibitione fraudem fecerit, ab officii adminiſtratione arbitrio Ordinarii ſuſpendatur, & ad dupli pænam quanti ea lis fuerit, inter Appellantem, & Pauperes loci diſtribuendam compellatur. Judex verò, ſi & ipſe impedimenti hujus conſcius, particepſve fuerit, aliterve obſtiterit, ne Appellanti integre Acta intra tempus traderentur, ad eandem dupli pænam, prout ſupra, teneatur.

XI. Si quis autem Epiſcopus (quod abſit) appellationes in caſibus a jure permiſſis ad Reverendiſſimum Dominum Patriarcham a quolibet ſuo ſubdito ſive Clerico, ſive Laico, ſuper quacumque cauſa ſive Criminali, ſive civili, & ſuper quocumque gravamine factas, & interpoſitas impedire, vel non admittere præſumſerit, ſeu Appellanti Acta omnia in ſuo Tribunali geſta tradere recuſaverit; ſit ipſo facto ab executione Pontificalium tamdiu ſuſpenſus, donec Reverendiſſimus Dominus Patriarcha adhibitis duobus ſaltem Epiſcopis modum decreverit, quo contumacia hujuſmodi frangatur, aut Epiſcopus ille debitam ſatisfactionem, & ſubjectionem præſtiterit.

33. Circa Criminales Epiſcoporum Cauſas, hæc ſtatuta ſervanda eſſe decernimus.

I. Cauſæ (*Trid. ſeſs. 24. cap. 5.*) Criminales graviores contra Epiſcopos, etiam hæreſis (quod abſit), quæ depoſitione, aut privatione dignæ ſunt, ex ſpeciali commiſſione ſedis Apoſtolicæ Romanæ ab ipſo Reverendiſſimo Domino Patriarcha in Concilio Provinciali cognoſcantur, ſic tamen, ut Facti inſtructionem ſumat, proceſſumque conficiat: ſuſpenſa tamen

tamen definitiva ſententia, & exequutione, donec Acta omnia ad Santiſſimum Romanum Pontificem tranſmittant, reſervata eidem ſententia definitiva, & exequutiva. Liceat autem dictæ Synodo, poſtquam proceſſum fecerit, deque gravi culpa conſtiterit, ob quam Epiſcopus ſecundum Canones depoſitione, aut privatione dignus ſit, eundem reum Epiſcopum ab Officio ſuſpendere, & in aliquod Monaſterium detrudere, (non tamen deponere) donec ſedes Apoſtolica definitivam ſententiam exequutioni demandandam præcipiat, aut Reum abſolvendum jubeat. Si vero extra Curiam Patriarchalem, aut extra locum, ubi Synodus Provincialis celebratur, ejuſmodi Epiſcopi Cauſa ſit committenda, nemini prorſus ea committatur, niſi Metropolitanis, aut Epiſcopis a Reverendiſſimo Domino Patriarcha eligendis. Hæc vero Commiſſio & ſpecialis ſit, & manu ipſius Reverendiſſimi Domini Patriarchæ ſignata, nec unquam plus his tribuat, quam ut ſolam Facti inſtructionem ſumant, proceſſumque conficiant, quem ſtatim ad Reverendiſſimum Dominum Patriarcham, & Provincialem Synodum deferant. Sin autem damnatus, ſeu ſuſpenſus in Synodo Epiſcopus Romanum Pontificem appellaverit, Acta omnia ad ſedem Apoſtolicam tam ab Appellante, quam a Synodo traſmittantur, & Sententia Romani Pontificis expectetur. Interim vero Appellans Pontificalia libere exerceat; poterit tamen Synodus illum ſub honeſta cuſtodia detinere, ſi periculum ſit, ne quid contra Fidem, vel bonos mores ab illo committatur.

II. Cauſæ autem (*Trid. ſeſs. 24. cap 4.*) minores Criminales Epiſcoporum, quæ neque depoſitione, neque privatione dignæ ſunt, a Reverendiſſimo Domino Patriarcha in Synodo Provinciali, vel etiam duobus adhibitis Epiſcopis, cognoſcantur, & terminentur, etiam quoad exequutionem, vel a tribus Epiſcopis per ipſum Reverendiſſimum Dominum Patriarcham deputandis,

III. Teſtes in Cauſa (*Trid ſeſs. 13. cap, 7. Conſtantinop. 1. can. 6.*)

can. 6.) Criminali ad informationem, vel indicia, ſeu alias in cauſa principali contra Epiſcopum, niſi Conteſtes, & bonæ converſationis, exiſtimationis, & famæ fuerint, non recipiantur. Et, ſi odio, temeritate, aut cupiditate aliquid depoſuerint, gravibus pœnis multentur.

IV. Epiſcopus niſi ob cauſam (*Trid. ſeſs. 13. cap. 6.*) ex qua deponendus ſive privandus veniret, etiam ſi ex officio, aut per inquiſitionem, ſeu denunciationem, vel accuſationem, ſive alio quovis modo procedatur, ut perſonaliter compareat, nequaquam citetur, vel moneatur.

V. Si Epiſcopus (*Antioch. can. 14. & 15.*) ob aliqua crimina judicetur, & contingat Epiſcopos Judices de eo diſſentire, alii a Reverendiſſimo Domino Patriarcha Epiſcopi adjungantur. Quod ſi omnes in pronuncianda ſententia conſentiant, firmum maneat Epiſcoporum Judicium.

VI. Quiſquis Epiſcopus (*Carthagin. III. ann. 397. Can. 7.*) accuſatur, ad Reverendiſſimum Dominum Patriarcham ipſius Cauſam deferat accuſator. Si autem ad Cauſam ſuam dicendam acceptis Patriarchæ Literis evocatus minime occurrerit, hoc eſt, intra ſpatium menſis ex ea die, qua eum literas accepiſſe conſtiterit, a Pontificalium exercitio ipſo jure ſuſpendatur. Quod ſi aliquas veras Cauſas literis ad Patriarcham reſcriptis probaverit, quibus eum occurrere non potuiſſe manifeſtum ſit, Cauſæ ſuæ dicendæ intra alterum menſem integram habeat facultatem; Sin autem Patriarcha illum evocare, purgatione non admiſſa, perrexerit, tamdiu ſuſpenſus eſto, donec obtemperet, vel purgetur.

VII. In accuſationibus contra Epiſcopos recipiendis obſervandæ ſunt Facti circumſtantiæ, necnon accuſati, & accuſantis perſonæ, & qua ratione negotium illud tractandum ſit, ut nihil contra æquitatis & juſtitiæ leges ab Eccleſiaſtico Judice agatur; nec ſine matura conſideratione, aut urgenti, ac rationabili cauſa admittendæ ſunt hujuſmodi accuſationes, quum ſæpe contingat, ut Subditi, præſertim ab Epiſcopo correpti, magnopere illum

illum odiſſe, & tamquam injuria affecti ſint, falſa illi crimina objicere ſoleant, ut quoquo pacto poſſint, ei moleſtiam exhibeant. Accuſator itaque (*Conſtantinop. Can.*) Debet famæ eſſe innoxiæ, &, ſi in aliquo capite defecerit, talionis legem ſubire. Si quis autem propriam querelam, ideſt privatam, intendat Epiſcopo, ut detrimento aliquo, vel injuria aliqua ab ipſo affectus, in ejuſmodi accuſationibus, nec Accuſatoris perſona, nec religio examinetur. Oportet enim Epiſcopi conſcientiam eſſe omnibus modis liberam, & eum, qui ſibi injuriam factam eſſe dicit, cujuſcumque ſit religionis, jus ſuum conſequi. Si vero ſit crimen Eccleſiaſticum, quod Epiſcopo intenditur, tunc examinari debent perſonæ Accuſatorum; Et primum quidem Hæreticis & Schimaticis non liceat (*Apoſt. Can.* 74.) Orthodoxos Epiſcopos pro rebus Eccleſiaſticis accuſare. Præterea ſi aliqui ab Eccleſia ob aliquas Cauſas prius condemnati, & ejecti, vel excommunicati fuerint, ſive ex Clero, ſive ex Laicorum Ordine, non liceat eis Epiſcopum accuſare, priuſquam proprium crimen abſterſerint. Similiter autem & ii, qui prius rei facti, accuſatique ſunt, non prius ad Epiſcopi, vel aliorum Clericorum accuſationem admittantur, quam ſe objectorum ſibi criminum inſontes oſtenderint. Si igitur nonnulli, nec hæretici, nec ſchiſmatici, nec excommunicati fuerint, nec prius damnati, vel aliquorum criminum accuſati, dicant autem ſe habere aliquas adverſus Epiſcopum criminationes, ii poterunt apud Reverendiſſimum Dominum Patriarcham, & duos ſaltem aſſiſtentes Epiſcopos accuſationem perſequi, & apud eos probare crimina Epiſcopi, qui aliquarum rerum accuſatur.

34. Quum Decimarum ſolutio (*Trident. ſeſs.* 25. *cap.* 12.) debita ſit Deo, & quum illi, qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, ſeu acceptas iis, quibus debent, non tradunt, res alienas invadant, Sancta Synodus Epiſcopos, Presbyteros, Clericos, & Laicos cujuſcumque gradus & conditionis ſint, monet atque hortatur, ut in illis exigendis, ſolvendis, eiſque tradendis, ad quem

quem de jure ſpectant, æquitatem, & juſtitiam ex corde puro, & conſcientia bona ſervent.

Non ſunt enim ferendi, qui variis artibus Decimas Eccleſiis obvenientes ſubtrahere moliuntur, aut qui ab aliis ſolvendas temere occupant, & in rem ſuam vertunt.

I. Prœcipit igitur Sancta Synodus omnibus, cujuſcumque ſtatus, & conditionis ſint, ad quos Decimarum ſolutio ſpectat, ut eas, ad quas de jure vel conſuetudine tenentur, in poſterum Epiſcopis, aut quibuſcumque aliis perſonis Eccleſiaſticis, quibus legitime debentur, integre perſolvant. Qui vero eas aut ſubtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, niſi plena reſtitutione ſequuta, abſolvantur. Epiſcopi autem, vel quicumque Eccleſiaſtici ad illas a Fidelibus exigendas deputati, ſi quid ex Decimis exactis, quod Sedi Patriarchali, ac Reverendiſſimo Domino Patriarchæ, ſeu Epiſcopis, & Metropolitanis debetur, occupaverint, defraudaverint, vel in rem ſuam converterint, ſint ipſo facto ſuſpenſi, nec ab ea Suſpenſione abſolvi poſſint, aut abſoluti cenſeantur, niſi plena reſtitutione ſequuta.

II. Hortatur vero Sancta Synodus omnes & ſingulos pro Chriſtiana charitate, debitoque erga Paſtores ſuos munere, ut Bonis ſibi a Deo collatis Sedi Patriarchali, Metropolitanis, Epiſcopis, & Parochis, qui tenuioribus præſunt Eccleſiis, large ſubvenire ad Dei laudem, atque Paſtorum ſuorum, qui pro eis invigilant, dignitatem tuendam non graventur.

III. Quoniam autem ſæpe contingit, ut in una eademque Diœceſi nunc major, nunc minor Decimarum quantitas pro Populi devotione ab Epiſcopo colligatur, atque exinde ſuſpiciones de eodem Epiſcopo ſuboriri poſſint, an diligenter, vel fideliter munus ſuum exequutus fuerit, placuit Sanctæ Synodo decernere, ac ſtatuere fixam ſummam Decimarum uniuſcujuſque Diœceſis juxta illius amplitudinem, ſeu anguſtiam, quam ſinguli Epiſcopi debeant certo menſe quotannis Reverendiſſimo Domino Patriarchæ integre, ac libere in numerata pecunia perſolvere; ipſis

ipſis autem Epiſcopis integrum ſit per ſe, vel per ſubſtitutam Perſonam Eccleſiaſticam, exigere Decimas, quæ in propria Diœceſi perſolvi conſueverunt, illaſque ſibi vindicare.

IV. Verum quia propter gentes, inter quas verſamur, ea eſt Urbium, Pagorum, & Provinciarum viciſſitudo, ut quæ Diœceſes Chriſtifidelium numero, & frequentia noſtris temporibus celebrantur, haud improbabili conjectura ſint poſtmodum in deplorabilem ſtatum redigendæ; idcirco Reverendiſſimi Domini Patriarchæ & Synodi Provincialis arbitrio relinquimus, ut, ſi quando contigerit Diœceſeon de bono in malum, ſeu de malo in bonum ſtatum notabilis mutatio, taxa etiam Decimarum pro rata minuatur, vel augeatur.

V. Decimas Eccleſiaſticas Laicis locare nemini liceat, non Epiſcopo, neque ejus Vicario, ſed tenetur ipſe Epiſcopus, vel ejus Vicarius, aut ſubſtituta Eccleſiaſtica perſona illas conſtituto anni tempore de more a Laicis omnibus petere & exigere, idque in ea portione & quantitate, prout antiqua obtinet conſuetudo. Clerici autem, qui ex Decimis, ſeu Eccleſiarum proventibus ſuſtentantur, ex his quidem Decimas ſolvere non tenentur, ſed ex Bonis ſuis ſecularibus, quæcumque ea ſint. Idem dicendum de Regularibus, qui etſi non tenentur de antiquis Agris, & prædiis Decimas Epiſcopis ſolvere, ratione tamen Prædiorum de novo acquiſitorum debent Decimas Prælatis, niſi a Reverendiſſimo Domino Patriarcha privilegium obtinuerint.

35. Non licet Epiſcopo (*Antioch. Can.* 23.) alium pro ſe ſucceſſorem conſtituere, etiamſi ſit in fine vitæ. Si quid autem fiat ejuſmodi, irrita ſit Conſtitutio. Servetur autem Ritus Eccleſiaſticus, qui continet, non aliter debere fieri, quam cum Synodo Epiſcoporum, & judicio Reverendiſſimi Domini Patriarchæ, qui poſt Defuncti dormitionem, poteſtatem habet dignum promovendi. Duos autem in una Civitate fieri Epiſcopos, Canon Nicœnus (*Nicæn. Can.* 8.) prohibet. Sed neque (*Trident. ſeſs.* 25. *cap.* 7.) permittitur, ut Epiſcopo alicui ſenio vel morbis confecto, qui munus ſuum exercere amplius nequeat, alius Epi-

ſcopus

ſcopus Coadjutor detur cum futura ſucceſſione, niſi hæc cauſa prius diligenter a Reverendiſſimo Domino Patriarcha in Synodo Epiſcoporum ſit cognita, & qualitates omnes in illo concurrere certum ſit, quæ a jure in Epiſcopis requiruntur, idque urgens neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas poſtulet.

36. Non liceat Epiſcopo de ſua Diœceſi in aliam migrare, vel ibi permanere longiori tempore, quam Canones permittunt, niſi de licentia Reverendiſſimi Domini Patriarchæ, neque poteſt ſine ejuſdem facultate votum de longinqua peregrinatione emittere, quo caſu de idoneo Vicario providendum eſt, qui poſſit etiam Pontificalia munera obire, quemadmodum etiam, quum Reverendiſſimus Dominus Patriarcha cenſuerit Epiſcopum aliquem ad Limina Apoſtolorum ſuo, nationiſque nomine mittere. Quum verò Epiſcopus decreverit ſe Epiſcopatu abdicare, & monaſticam vitam profiteri, id ei a Reverendiſſimo Domino Patriarcha non permittatur, niſi in Synodo Epiſcoporum & Metropolitanorum cauſa diſcuſſa fuerit.

37. Archivum in Cathedrali Eccleſia ab Epiſcopis & Metropolitanis erigi mandat ſancta Synodus, in eoque diligenter recondi, & ſervari præcipit, primò, Libros ad Pontificalia munera ſpectantes, librum, videlicet, Confirmatorum, librum Ordinatorum, librum Conſecrationum Eccleſiarum, Altarium, & Cœmeteriorum, librum Diſpenſationum, & Profeſſionum Fidei. Secundo: Libros Cauſarum, Judiciorum, Deciſionum, Cenſurarum, Abſolutionum, eorumque omnium, quæ ipſe Epiſcopus, vel ejus Vicarius in Cauſis Civilibus, aut Criminalibus pronunciavit. Tertio: Inventaria Eccleſiarum ſuæ Diœceſis, Viſitationum Decreta, Inſtrumenta, & Privilegia ſuæ Eccleſiæ, Reliquiarum authentica documenta, Legata, Donationes, aliaque ejuſmodi Jura ad Cathedralem ſpectantia. Quarto denique, Rituales, Pontificales, & Eccleſiaſticos libros, quicumque vel ad Divina Officia celebranda, vel ad jus dicendum pertinent.

C A-

CAPUT V.

De Foro Eccleſiaſtico.

1. OMnes Epiſcopi, & Metropolitani, ſimiliter & Reverendiſſimus Dominus Patriarcha, pro Cauſis Eccleſiaſticis habeant Officialem, ſeu Curiæ Eccleſiaſticæ Miniſtrum, iis doctrinæ, & probitatis qualitatibus præditum, quæ requiruntur in illis, qui ad partem oneris Epiſcopalis vocantur; alias ſciant ſe de ipſius facto teneri, ſi minus idoneum elegerint. Id autem munus ex antiqua Eccleſiæ noſtræ conſuetudine Archidiacono committant, qui in contentioſa Epiſcopi juriſdictione, & regenda Eccleſiæ re temporali miniſter eſt & Vicarius Generalis, ut ſupra diximus. (*Par. 3. cap. 2. can. 7.*) Si verò hunc toti oneri ferendo imparem, aut minus aptum judicaverint, Archipresbyterum adjungant, Cauſarum cognitionem inter utrumque dividentes, & alteri Civiles, Criminales alteri committentes. Uterque autem quæcumque audierit, pronunciaverit, aut deciderit, ad Epiſcopum referat, ut illa expendat, &, ſi ita videbitur, propria ſubſcriptione confirmet.

2. Præter Officialem, vel Officiales prædictos, Epiſcopis, Metropolitanis, & Reverendiſſimo Domino Patriarchæ neceſſarius eſt Notarius, ſeu Cancellarius, unus, vel plures pro Diœceſis amplitudine, vel anguſtia, cujus officium in eo potiſſimum conſiſtit, ut deſcribat quam diligentiſſime, & retineat Proceſſus Actorum tum Civilium tum Criminalium; Librum etiam habeat peculiarem, in quo ii, qui Profeſſionem Fidei emiſerint, ſua nomina ſcribant; Librum præterea Ordinationum, in quo deſcribatur & Ordo collatus, & Titulus; Librum etiam Viſitationis, in quo ea, quæ ad quamlibet Eccleſiam ſpectant, adnotentur; ac denique Librum Reſcriptorum, quæ Gratioſa appellantur, Diſpenſationum, ſcilicet, rerumque omnium, quæ

ad meram Gratiam pertinent. Qui porrò libri Epiſcopo ſucceſſori tradentur, ut in Archivo Epiſcopali perpetuò conſervari poſſint.

3. Ne verò Notario liceat pro arbitrio ſuo recurrentes gravare, ſive ratione judiciorum, ſive ratione gratiarum, quæ ab Epiſcopo conceduntur, Taxam conficiendam jubemus, & inter Acta hujus Synodi deſcribi mandamus, ac in omnibus Cancellariis publice exponi, & accurate obſervari. Similiter per Reverendiſſimum Dominum Patriarcham Taxa fiat emolumentorum, quæ percipere ſolet in Conceſſionibus diſpenſationum cujuſcumque generis, ac præcipue Matrimonialium, in quibus tamen circa gradus conſanguinitatis, affinitatis, & cognationis ſpiritualis, conſtitutio Clementis VIII. omnino eſt ſervanda. Si quis autem ultra has Taxas aliquid extorquere præſumpſerit, ad reſtitutionem dupli teneatur, & ab officio amoveatur, ac inſuper arbitrio Epiſcopi alia pæna pecuniaria multetur in pios uſus expendenda.

4. Item Officiales prædicti, tam Archidiaconus, quam Archipresbyter, vel pro moribus corrigendis, vel pro exceſſibus Parochorum, & Clericorum caſtigandis, non alias pænas pecuniarias indicant, quam eas, quæ a præſenti Synodo probatæ, & taxatæ ſunt, ſed alia remedia ſuaviora, & ſpiritu reformando aptiora adhibeant, detruſionis, ſcilicet, in Monaſterium ad tempus, aut alia pietatis opera pro modo negligentiæ, & culpæ. Quod ſi de gravioribus delictis Proceſſus inſtituant, tunc pænas canonicas adhibeant.

5. Ut autem de ſingulorum Curiæ Epiſcopalis Miniſtrorum fide conſtet, in calce omnium & quarumcumque expeditionum, & ſcripturarum, quid ab unoquoque ſit perſolutum, adnotandum jubemus; & Archidiacono atque Archipresbytero diligentem curam pro hujus decreti obſervantia demandamus. Si quas autem multas pecuniarias a contrafacientibus his conſtitutionibus Synodalibus exigi contigerit, eas in pios (*Trid. ſeſs.* 25. *cap.* 3. & 14.) uſus omnino erogandas præcipimus, ideſt,

ideſt, in ſacras ſupellectiles, vel in ſarta tecta Eccleſiarum, vel in uſum pauperum ſæcularium, ſeu Regularium, ſive etiam pro Seminario, vel pro Camera Epiſcopali, ejuſque Miniſtrorum neceſſitatibus, ſi indigeant, nec aliunde Epiſcopus ſubvenire poſſit, non tamen Epiſcopo, neque Notario. Pœnarum verò hujuſmodi attributio, & ſolutio in certum Codicem in Archivo aſſervandum referantur, & ſingulis annis, aut alternis decernatur ab Epiſcopo Eccleſiaſticus Vir, qui Taxam recognoſcat, & Miniſtros delinquentes puniat.

6. Libertatem Appellationis ab Epiſcopo vel Metropolitano ad Reverendiſſimum Dominum Patriarcham in Cauſis, in quibus Appellatio de jure admittenda eſt, nunquam impediant. Si vero apellationem, aut recurſum ad ſuperiorem Judicem impedire deprehenſi fuerint, aut inhibitionem Reverendiſſimi Domini Patriarchæ, vel alterius Superioris contemnere, graviter puniantur, & ab officio amoveantur; ſimiliter ſi in officio, & exercitio propriæ Juriſdictionis, aut per ſortes ſententiam pronunciando, aut alia ratione deliquerint, ſeverè plectantur, & non modo Epiſcopus, ſeu Metropolitanus, verum etiam Reverendiſſimus Dominus Patriarcha còntra ipſos procedere poſſit, ſervata inter eos præventione.

7. Ut omnis ab Epiſcopali Curia fraudis ſuſpicio, & negligentia abigatur, Vicarius Generalis, ideſt Archidiaconus, ſeu Archipresbyter, eo diligentiam omnem intendat, ut ſubterfugia, cavillationes, arteſque dilatorias litigantium amputet, & cauſas omnes, qua fieri poteſt brevitate, accuratè tamen diſcuſſas, expediat, ac præſertim Cauſas miſerabilium perſonarum expediendas ſumma cura mandamus. Si quid autem earum expeditionem remorari animadverterit, ipſe, vel Pauperum Advocatus, ſi quem Epiſcopus aptum repererit, cui officium hujuſmodi committatur, ad ipſum Epiſcopum referat, ut auctoritate ſua Pauperum indigentiæ provideatur. Quamobrem idem Vicarius diebus, & horis ad jus dicendum ſtatutis audientiam nemini deneget. Idem de Notario dicendum, qui ſtatutis etiam

diebus & horis in Cancellaria Epiſcopali reſidere debet, ut de omnibus, qui ad ipſius officium ſpectant, Actibus, inſtrumenta, de quibus rogatur, conficere poſſit.

8. Quum Cauſæ omnes ad Forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentes; juxta Sacrorum Canonum Decreta, coram Eccleſiaſtico tantum Judice cognoſci debeant, Clericis omnibus ſtrictè præcipimus, ne in ſupradictis Cauſis Civilibus, ſive Criminalibus, ſive agendo, ſive excipiendo, in Foro ſeculari audeant comparere, nec in Laicæ poteſtatis juriſdictione conſentiant; Nam præter pænas Cenſurarum, aliaſque arbitrarias, Proceſſus, Acta, ac omnia inde ſequuta irrita & nulla declaramus; niſi Gubernatorum Infidelium Forum ſit, ad quod Clerici per vim trahantur; tunc enim, quum vi cedendum ſit, a Cenſuris illos abſolvimus, dummodo ipſi Actores non ſint. Sub iiſdem Cenſuris, & pænis Ordinarii arbitrio infligendis antiquam conſuetudinem ſervari mandamus, qua perſonæ Eccleſiaſticæ Laicos reos in Foro Eccleſiaſtico huc uſque convenerunt. Si quis autem Juriſdictionem Epiſcopalem impedire audeat, ſive præcepta, Literas, & mandata ab Epiſcopo, ejuſque Curia emanata, quo minus præſentari, & exequutioni demandari poſſint, & Notarios, vel Vicarios, ne officium ab Eccleſiaſtica Curia injunctum exercere valeant, directe, vel indirecte, per ſe, aut per alios impedire, perturbare, vel detinere, auctoritate Laicali præſumſerit; ſciat, ſe cujuſcumque gradus, conditionis, officii, & dignitatis fuerit, tamquam Eccleſiaſticæ libertatis violatorem, Excommunicationem ipſo jure incurriſſe.

9. Ad reprimendam falſariorum, & iniquorum hominum temeritatem, ipſo facto excommunicatos declaramus omnes & ſingulos in cauſa Civili, vel Criminali cum gravi damno alterius falſum teſtimonium deponentes, nec non inducentes ad falſum deponendum, falſiſque Teſtibus, depoſitionibus, Inſtrumentis, Scripturis, tam publicis, quam privatis quomodocumque utentes, directe, vel indirecte, in quacumque Curia ſive

Eccle-

Eccleſiaſtica, ſive ſeculari. Item ipſo facto excommnnicatos declaramus omnes & quoſcumque, qui Advocatos, & Procuratores, occaſione Cauſarum in Curia Eccleſiaſtica expediendarum, vel eos, qui ad ipſam Curiam pro ſuis Cauſis recurrunt, vel Notarios, & Officiales omnes, & quoſcumque Eccleſiaſticos in odium Iuſtitiæ exequutioni demandatæ, vel demandandæ, quomodocumque percutiunt, ſeu vulnerant, ſive in Curia Epiſcopali, ſive extra. Eadem Excommunicatione latæ ſententiæ innodentur omnes & ſinguli, qui cum gravi damno alterius Apochas, Syngraphas, aut Inſtrumenta, Proceſſus, ſeu Scripturas publicas, & authenticas falſas confecerint, vel veras utcumque falſificaverint, vel adulteraverint, nec non his ſcienter utentes, aut cooperantes: quique eaſdem Apochas, aut ſcripturas ab aliis falſo confectas, vel falſificatas, aut adulteratas doloſe Officialibus Curiæ Eccleſiaſticæ præſentaverint, etiam non ſecuto effectu. Similiter ipſo facto Excommunicatos declaramus Notarios, Scribas, & Officiales quoſcumque, qui cum alterius Partis offenſione, aut cum Reipublicæ, vel cum Legalis juſtitiæ detrimento doloſe auctam, vel diminutam informationem capiunt, & ſic dicta Teſtium ſcribunt, vel falſum in Acta referunt.

10. Archivi Epiſcopalis ſummam curam eſſe præcipimus Cuſtodi, qui ſeris clauſum perpetuò habeat, claves nemini tradat, nec ſcripturas cujuſcumque generis, niſi ſe ſpectante, legendas exhibeat. Sine Epiſcopi facultate nemini originales ſcripturas, & Proceſſus commodet, &, ubi fieret ab Epiſcopo commodandi facultas, exigat acceptæ ſcripturæ teſtimonium, & ſaltem intra quindecim dies reportari procuret. Ne autem Proceſſus aut diſperdantur, aut, quum opus fuerit, non inveniantur, Curiæ Epiſcopalis Notarius intra menſes duos poſt expeditas cauſas tradat Archivario Proceſſus in Archivo reponendos, & conſervandos. Si quis verò Proceſſus, Inſtrumenta, & quaſcumque alias ſcripturas ad Forum Eccleſiaſticum ſpectantes, delere, comburere, ſupprimere, ſurripere, & quocumque

que modo doloſe retinere auſus fuerit, excommunicationem latæ ſententiæ incurrat, a qua, niſi facta reſtitutione, aut propriis expenſis refecto per Notarium eodem Inſtrumento, ſive ſcriptura, non abſolvatur.

11. Quoniam verò Judiciorum contentiones quieſcere aliquando oportet, nos dies feriales infraſcriptos ita in Curia Eccleſiaſtica ſervandos mandamus, ut ne conſentientibus quidem Partibus agi in iis, actitarive liceat, niſi aliud urgens neceſſitas, aut pietas, Epiſcopo conſentiente, ſuadeat, ſub pæna nullitatis actus, exceptis dumtaxat cauſis a ſacris Canonibus expreſſis. Sunt autem dies feriales, primò. Dominicæ totius anni, ac Feſta omnia, quæ ſunt de præcepto. Secundo. Hebdomada Major uſque ad Dominicam in Albis. Tertio. Prima dies Jejunii Quadrageſimæ, Nativitatis, Aſſumptionis Beatæ Virginis Mariæ, & Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli.

12. Sigillo utatur Epiſcopus cum imagine Sancti Eccleſiæ Patroni in iis, quæ requirunt Epiſcopalis Sigilli impreſſionem. Viſitet autem Tribunal Fori ſui ſemel in anno. Contra alienum verò Clericum, inconſulto proprio Epiſcopo, non permittat procedi, niſi ratione Domicilii, vel ratione rei ſitæ, vel ratione delicti.

CAPUT VI.

De Reverendiſſimo Domino Patriarcha.

1. DE Patriarcharum inſtitutione, numero, & ordine dictum eſt (*hac part. cap.* 4. *can.* 5. *& ſeq.*) ſupra. Noſtri autem Antiocheni Patriarchatus ſtatum, ſubjectoſque ei Primates, Metropolitanos, Archiepiſcopos Autocephalos, & Epiſcopos, qua fieri potuit brevitate (*Ibidem. cap.* 8.) recenſuimus. Privilegia quoque, & juriſdictionem ipſius ſupra cæteros ſibi ſubjectos Præſules, tum ex Conciliis (*Nicæn. can.* 6.) Nicæno, & Conſtantinopolitano (*Conſtantinop.* 1. *can.* 3.) primo,

mo, tum etiam ex Lateranenſi (*Lateran.* IV. *ſub Innoc.* III. *can.* 5.) IV., ac Florentino (*Florent. ſub Eugen.* IV. *in decreto Unionis*) indicavimus. Sunt autem hæc, quæ Innocentius Tertius ſummus Pontifex in Concilio Œcumenico Lateranenſi enumerat. *Antiqua Patriarchalium ſedium Privilegia renovantes, ſacra univerſali Synodo approbante, ſancimus, ut poſt Romanam Eccleſiam, quæ, diſponente Domino, ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinet principatum, utpote Mater univerſorum Chriſti fidelium, & Magiſtra, Conſtantinopolitana primum, Alexandrina ſecundum, Antiochena tertium, Hieroſolymitana quartum locum obtineant, ſervata cuilibet propria dignitate; ita quod poſtquam eorum Antiſtites a Romano Pontifice receperint Pallium, quod eſt plenitudinis officii Pontificalis Inſigne, præſtito ſibi fidelitatis, & obedientiæ juramento, licenter & ipſi ſuis ſuffraganeis Pallium largiantur, recipientes pro ſe profeſſionem Canonicam, & pro Romana Eccleſia ſponſionem obedientiæ ab eiſdem. Dominicæ vero Crucis vexillum ante ſe faciant ubique deferri, niſi in Urbe Romana, & ubicumque Summus Pontifex præſens extiterit, vel ejus Legatus utens Inſigniis Apoſtolicæ dignitatis. In omnibus autem Provinciis eorum juriſdictioni ſubjectis, ad eos, quum neceſſe fuerit, provocetur, ſalvis Appellationibus ad ſedem Apoſtolicam interpoſitis, quibus eſt ab omnibus humiliter deferendum.*

2. Patriarchæ igitur Privilegia ſunt. Primo. Ante Primates, Metropolitanos, cæteroſque Epiſcopos totius orbis Terrarum, poſt Romanam Eccleſiam, ordine tamen ſupra deſcripto, in Eccleſia Catholica locum tenet, & in Conciliis Œcumenicis, vel per ſe, vel per Legatos ſedet, & ante eos ſententiam dicit, & ſubſcribit. Secundo. Crucem ante ſe deferre poteſt ubique Terrarum, excepta Urbe Roma, & ubicumque Summus Pontifex præſens extiterit, aut ejus Legatus utens Inſigniis Apoſtolicæ dignitatis. Tertio. Patriarchalibus Inſigniis, & ornamentis uti poteſt, incedere, nimirum, indutus veſte purpurea, & equo albo phalerato, & fræno, ac calcaribus deauratis

tis uti. Quarto. Literas Synodicas ad alios Patriarchas ſcribere; & omnium quidem Patriarcharum nomina olim ſacris diptycis inſcribebantur, & in aliis etiam Patriarchatibus in Divinis officiis commemorabantur. Quinto. Definitas in Provinciis, imo & in Diœceſibus, quæ ex multis Provinciis conſtant, controverſias iterato tractare poteſt, eaſque vel confirmare, vel infirmare. Sexto. Metropolitanos, & Primates ſuo Patriarchatui ſubjectos vel per ſe, vel per ſubdelegatos Epiſcopos conſecrare, eiſque Pallium largiri. Septimo. Si neceſſitas, aut utilitas Eccleſiæ poſtulaverit, ab una Eccleſia ad aliam Epiſcopos, & Metropolitas transferre poteſt, eiſque Coadjutores dare in caſu neceſſitatis; id tamen non niſi Synodo Epiſcoporum conſentiente fiat. Octavo. Epiſcopo abdicare, & Monaſticam vitam profiteri volenti, poteſt Patriarcha facultatem in Synodo Epiſcoporum impertiri. Nono. Majores Eccleſiæ Cauſas, & graviora Epiſcoporum ſui Patriarchatus negotia (Salvis tamen Cauſis ad ſolum Romanum Pontificem ſpectantibus) dijudicare. Decimo. Epiſcoporum a Metropolitanis, vel Clericorum, Laicorumve ab Epiſcopis Appellationes admittere. Decimoprimo. Patriarchæ eſt invigilare, ut per univerſum Patriarchatum Fides Catholica illibata ſervetur, & ſacri Canones in ſuo vigore permaneant; idque vel per ſe, vel per ſubſtitutam Eccleſiaſticam perſonam Metropolitanas, ſeu Epiſcopales Diæceſes viſitando. Decimoſecundo. Synodum totius Patriachatus Metropolitanorum, & Epiſcoporum, quando opus eſſe judicaverit, edicere, eique præeſſe, & in eos, qui canonice ad Synodum vocati adeſſe renuerint, cenſuris Eccleſiaſticis animadvertere, ipſa etiam excommunicatione, ſi pertinaces fuerint. Decimotertio. Canones condere, qui ab omibus Metropolitanis, & Epiſcopis ſervari debeant. Decimoquarto. In delinquentes Metropolitanos, & Epiſcopos Cenſuris Eccleſiaſticis animadvertere; & olim quidem poterat Patriarcha in Synodo uſque ad depoſitionem, ſeu privationem eorum devenire; nunc autem Epiſcoporum depoſitionis tam Sententia deffinitiva, quam executio

Summo

Summo Romano Pontifici reſervata eſt. Poteſt tamen Patriarcha in Synodo Epiſcopum reum ſub honeſta cuſtodia in Monaſterio detinere, donec de ſententia definitiva, deque executione depoſitionis ſedes Apoſtolica pronunciaverit. Decimoquinto. Monaſteriorum obſervantiæ invigilare, & Monaſtica etiam Inſtituta, legeſque in ſuo Patriarchatu approbare, atque in omnes ſui Diſtrictus Monachos juriſdictionem exercere. Decimoſexto. Eccleſias, vel Monaſteria, etiam in Diæceſi Metropolitanorum, aut Epiſcoporum poſita privilegio exemptionis, & immunitatis donare, ſibique in illa plenariam juriſdictionem reſervare. Decimoſeptimo. Patriarchæ nomen in Liturgia, & Divinis Officiis ubique, & ab omnibus Metropolitis, & Epiſcopis, eorumque ſubditis, poſt Romani Pontificis nomen proclamari, & commemorari debet. Decimoctavo. Solus Patriarcha poteſt reſervare ſibi caſus, a quibus nemo Metropolitanorum, aut Epiſcoporum abſolvere valeat; contra ipſe ab omnibus Caſibus in ſuo Patriarchatu quoſcumque poteſt abſolvere æreticos & Schiſmaticos cujuſcumque ſectæ, & Nationis reconciliare: In gradibus prohibitis, ac Matrimonium dirimentibus vel impedientibus diſpenſare: A ſubjectis Epiſcopis, ſeu Metropolitanis excommunicatos, vel ſuſpenſos, ſeu interdictos abſolvere; & in iis, quæ ſuſcipere Ordines impediunt, aut in ſuſceptis miniſtrare, diſpenſationem largiri. Decimonono. Ab omnibus Patriarchali ſedi ſubjectis tum Eccleſiaſticis, tum Secularibus, Patriarchæ debetur Decimarum ſolutio. Vigeſimo. Solus Patriarcha poteſt in toto Patriarchatu, etiam præſente loci Ordinario, benedicere, præeſſe, ac Pontificalia munera exercere. Vigeſimoprimo. Solius Patriarchæ eſt Feſta de præcepto per totum Patriarchatum inſtituere: jejunium ex aliqua urgenti cauſa ab omnibus ſubjectis ſervandum indicere, vel ab uno ex quatuor jam ab Eccleſia Orientali inſtitutis jejuniis ob gravem publicam neceſſitatem diſpenſare; ſic tamen, ut jejunium ipſum non omnino aboleatur, ſed ab illo ad certum tempus diſpenſetur, donec publica gravis neceſſitas du-

rat, ut peſtis, vel fames, aut bellum, ſeu terræmotus. Vigeſimoſecundo, ſolus Patriarcha jurisdictionem habet ſuper ritus Eccleſiaſticos ſui Patriarchatus; ita ut Rituales, Pontificales, & Miſſales libros, alioſque Divinorum officiorum Codices ipſe recognoſcere, & emendare valeat, aut novum officium inducere, vel aliquod vetus abolere; nonnullas ſibi functiones reſervare, quas Epiſcopis, & Metropolitanis exercere non liceat, uti eſt Chriſmatis Conſecratio: quaſdam ſimplicibus etiam Presbyteris committere, uti eſt Eccleſiæ Altariſque dedicatio, Sacramenti Confirmationis collatio, Mitræ, Baculique Paſtoralis uſus, & Minorum ordinum collatio; Ritum denique augere, minuere, dummodo tamen ejus ſubſtantia ſervetur; idque cum conſilio Epiſcoporum, Doctorumque Virorum fiat; Nam quæ ſolum Patriarcham poſſe ſupra diximus, ſic intelligenda ſunt, ut nihil arduum, nihil magni momenti deceat illum ſine Synodo Fratrum Epiſcoporum, & Metropolitanorum peragere; quemadmodum nec illos inconſulto Patriarcha quidquam aggredi fas eſt, ut de Metropolitano, & Epiſcopis in ſimili præſcribit Antiochenum (*Antioch. can. 9.*) Concilium. *Epiſcopos, qui ſunt in unaquaque Provincia, ſcire oportet Epiſcopum, qui Metropoli præeſt, curam & ſolicitudinem totius Provinciæ ſuſcipere, eo quod in Metropolim undequaque concurrunt omnes, qui habent negotia; unde placuit eum quoque honore præcedere; reliquos autem Epiſcopos nihil extra ordinem, vel ultra terminos ſuos agere ſecundum antiquum Patrum noſtrorum Canonem, qui hactenus obtinuit, aut ea tantum, quæ ad unjuſcujuſque Paræciam pertinent, & regiones, quæ ei ſubſunt; unumquemque enim Epiſcopum poteſtatem habere ſuæ Paræciæ, eamque adminiſtrare pro ſuo quiſque ſtudio, ac religione, & curam gerere totius regionis, quæ ſuæ Urbi ſubeſt, ut ordinet Presbyteros, & Diaconos, & cum judicio ſingula diſponat, & nihil ultra facere aggrediatur ſine Metropolitano Epiſcopo, neque ipſe ſine reliquorum ſententia.*

3. Hæc omnia, quæ modo enumeravimus, Reverendiſſimo Domino Patriarchæ noſtro tum ex ſacris Canonibus, tum

ex

ex Conſuetudiue immemorabili, & expreſſa, vel tacita Romanorum Pontificum conceſſione competere nos omnes Metropolitani, & Epiſcopi declaramus, & profitemur, eique tamquam Capiti, & Principi noſtro perfectam obedientiam, atque ſubjectionem promittimus, ſalva ſemper ſummi Romani Pontificis poteſtate, & primatu, quemadmodum unuſquiſque noſtrum profeſſus eſt, dum Conſecrationis Pontificiæ (*Pontifical. Maronit. in Ordinatione Epiſcopi, & Metropolit.*) munus accepit, in hæc verba: *Item credo, & profiteor, Dominum Deum, ac Salvatorem noſtrum Jeſum Chriſtum dediſſe vices ſuas Petro Apoſtolo, eumque conſtituiſſe Principem & Rectorem totius Eccleſiæ. Ille autem erexit primum Sedem Patriarchalem Antiochiæ Magnæ; Deinde Romam ad Urbium matrem profectus, in ea Martyrium ſuum conſumavit, & facta eſt Mater omnium Eccleſiarum totius Orbis Chriſtianorum; Nec unquam ſucceſſio Pontificum illius Cathedræ interrupta eſt uſque ad Pontificem Maximum Epiſcopum Epiſcoporum Dominum Noſtrum Papam N., & ſimili ratione continuata eſt Apoſtoli ſucceſſio in Throno Antiocheno ab uno ad alium uſque ad Sanctiſſimum Patrem Nobis hoc tempore præpoſitum Dominum N. Dominus confirmet Epiſcopatum amborum ſuper Nos. Profiteor ergo, & promitto coram Deo, & coram Corpore ejus pretioſo, & Angelis adſtantibus, & hoc Sancto Concilio, me ipſis, & eorum ſucceſſoribus ſubditum fore, & obſequuturum corde, & ore, nec opere, nec voluntate me conſpiraturum in eorum necem aut mutilationem, aut injuriam quoquo modo ipſis inferendam, aut ad labefactandum honorem, vel Juriſdictionem ipſorum, vel ad infringenda eorum mandata, ſed eorum legibus me obtemperaturum, eoſque ſummo honore, ac veneratione proſequuturum, opemque laturum eorum Legatis, ſuſcipiendo quem ipſi ſuſceperint, & anathematizando quem ipſi anathematizaverint.* Honoramus itaque Patriarcham noſtrum, eique ſubjacemus, dummodo ipſe Orthodoxam Romanam Fidem colat, & Santiſſimum Romanum Pontificem Chriſti Domini in Terris Vicarium tamquam ſuum Superiorem

 & Ma-

& Magiſtrum, atque Patrem honoret, ejuſque mandatis obtemperet, quemadmodum & ipſe Reverendiſſimus Dominus Patriarcha (*Pontifical. Maronit. in Ordinatione Patriarchæ*) in actu ſuæ Conſecrationis promittit, ac profitetur in hæc verba; *Denique promitto, me veneraturum & obtemperaturum Principi Pontificum Romanæ Sedis Præſuli electo ſecundum Canones Eccleſiaſticos, hodie, & in futurum, & ejus legibus, & præceptis inhæſurum, ſicut Patres Noſtri, qui nos in gratia præceſſerunt in hac Sancta ſede Antiochena; meque charitate, & honore ejus Legatos & Conſtitutiones proſequuturum, neque conſenſurum omnino in illa, quæ ipſum in ſua perſona, vel in honore lædant, meque omnem daturum operam pro pace, & ſtabilimento Eccleſiæ Dei totius, & hujus promiſſionis, ac profeſſionis meæ complemento.* Sicut autem Reverendiſſimi Patriarchæ nomen nos Metropolitani & Epiſcopi poſt nomen Romani Pontificis in omnibus Divinis Officijs commemoramus; ita idem Reverendiſſimus Dominus Patriarcha debet Sanctiſſimi Romani Pontificis nomen ſuo nomini præponere; Et ſicut Nobis non licet quidquam magni momenti ſine conſilio Reverendiſſimi Domini Patriarchæ aggredi, ita eidem Patriarchæ non liceat ſine auctoritate Romani Pontificis arduum & grave negotium ſuſcipere.

4. Antiqui Patriarchæ noſtri, poſtquam a cæteris Orientalibus Populis Gens noſtra Maronitica diviſa fuit, non modo titulum & nomen Antiocheni Præſulis geſſerunt ſed plenam etiam Juriſdictionem Patriarchalem in Metropolitanos, Epiſcopos, Presbyteros, & Populum ejuſdem Nationis noſtræ Maroniticæ tam in diſtrictu Antiocheni Patriarchatus, quam in aliis Orientis partibus conſtitutos exercuerunt, quemadmodum uſque ad præſentem diem eodem titulo, & juriſdictione Patriarchali gaudent, Idque per ſummos Romanos Pontifices nunquam illis denegatum fuit, quinimo expreſſis Diplomatibus & Titulus Antiocheni Patriarchæ conceditur, & plena abſolutaque in totam Nationem Maronitarum in partibus Orientalibus ubique locorum exiſtentium juriſdictio. Idcirco omnibus & ſin-

gulis

gulis Maronitis ſive in Syria, Phænicia, & Monte Libano, ſive in Palæſtina, Cypro, Ægypto, aliiſque Orientis Provinciis, & locis exiſtant, ſtrictè præcipimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus, ut eundem Reverendiſſimum Patriarcham pro ſuo legitimo Superiore ac Præſule agnoſcant, ejuſque præceptis ac mandatis in Spiritualibus obtemperent, præſcriptas ab eodem leges, ritumque in Patriarchali Eccleſia ſervari ſolitum quoad Divina officia, Feſta, & Jejunia adamuſſim obſervent: Decimas eidem, ſive Seculares ſint, ſive Eccleſiaſtici, perſolvant: Miſſos ab ipſo Sacerdotes honorent & venerentur, atque ab illis Sacramenta percipiant. Ubi vero hi non adſint, cum Latinis Sacerdotibus communicent, vel cum aliis Orientalibus, ſiquidem fidem Catholicam Romanam profiteantur. Qui ſecus fecerit, ſciat, ſe Canonicas pænas daturum.

5. In his, quæ ad peculiarem Patriarchæ diæceſim ſpectant, eadem ſervanda ſunt, quæ de Epiſcopis & (*Par.* 3. *cap.* 4.) Metropolitanis diximus, ut ſcilicet illam tamquam Epiſcopus per ſe regat, & operam etiam adhibeat Archipresbyteri, Archidiaconi, Periodeutæ, & Chorepiſcopi, quorum hic numeroſo pago præficiatur; Periodeuta verò vicis omnibus viſitandis deputetur; Archidiaconus autem miniſtris præſit, res temporales Eccleſiæ adminiſtret, & in Cauſis cognoſcendis, atque definiendis Generalis ſit Vicarius; Archipresbyter denique in rebus ſpiritualibus viceſgerat, & in temporalibus etiam cauſis Archidiaconum adjuvare poſſit. Notarium inſuper, ſeu Cancellarium conſtituat, qui Acta omnia tum Civilia, tum Criminalia deſcribat, quemadmodum ſuperiori capite de Foro Eccleſiaſtico dictum eſt. Dioeceſim autem Patriarchæ intelligimus, quæ ab ipſo immediate pendet atque adminiſtratur, neque alteri Metropolitano, vel Epiſcopo in Spiritualibus ſubjecta eſt, cujus proinde fines ac limites, ſicut & aliarum Eccleſiarum Metropolitanarum, & Epiſcopalium, ſunt Decreto Synodali conſtituendi. Etſi enim Patriarchæ Sedes, ac Titulus Antiochia Civitas ſit; quum ibi tamen propter Alienigenas reſidere

dere nequeat, neque Chriſtifideles reperiantur, quos, tamquam Epiſcopus, regat; Idcirco ab antiquis temporibus in Phænicia, ſive in Monte Libano Sedes Patriarchalis collocata fuit, certaque illi *Diæceſis* attributa. Quod autem ex Annalibus Noſtris conſtat, ab anno Chriſti 685. ad noſtram ætatem, ideſt ad præſentem annum 1736. modò in una, modò in altera ex tribus hiſce Diæceſibus, Botrienſi, ſcilicet, Biblienſi, ac Tripolitana, protemporum locorumque opportunitate Majores noſtri ſedem Patriarchalem fixere; ſic tamen ut non ſemper eodem in loco conſtituerint, neque eaſdem ſibi Eccleſias & Monaſteria elegerint. Ac primo quidem ſedes Patriarchalis fuit *in Cænobio Sancti Maronis in Caphar Hai* Diæceſis Botrienſis, ubi ab anno 685. ſederunt Patriarchæ *Joannes Maro*, & *Cyrus*, & *Gabriel*. Deinde *in Cœnobio Sanctæ Mariæ in Janoch* ejuſdem Diæceſis Botrienſis, ubi ſederunt poſt memoratum Gabrielem, *Joannes* alter *Maro* nuncupatus, *Jo: Demelſenſis*, *Gregorius*, *Stephanus*, *Marcus*, *Euſebius*, *Joannes*, *Joſue*, *David*, *Gregorius* alter, *Theophylactus*, *Joſue* alter, *Dometius*, *Iſaac*, *Joannes*, *Simeon*, & *Joſeph Gergeſæus* uſque ad ann. 1120. Tertiò. *In Cænobio S. Mariæ apud Maiphuc in Valle Ailigenſi.* Diæceſis Byblienſis, ubi ſederunt Petrus, qui Joſephum antedictum excepit, & *Gregorius Halatenſis*, & *Jacobus* Ramatenſis. Quarto. *In Cænobio S. Eliæ in Lehephed*, Diæceſis Byblienſis, ubi ſedit *Joannes* Lehephedienſis, Jacobi ſucceſſor, qui ſedem tranſtulit *in Cænobium Sanctæ Mariæ in Habel*, ejuſdem Diæceſis Byblienſis. Quintò, iterum *in Cænobio Sanctæ Mariæ in Janoch* Diæceſis Botrienſis, ubi ſedit *Hieremias* Patriarcha ab anno 1209., ad quem extat Bulla (*Dat. Non. Januar. an.* 1215.) Innocentii Papæ III., in qua Eccleſia Patriarchalis vocatur *Sanctæ Mariæ de Anoch*, eique ſubjecti Archiepiſcopatus de *Haſſaja*, & de *Buſſara*, Epiſcopatus verò *Monetræ*, de *Rashin*, *Capharphuc*, & *Grocenſis*, ſeu *Aracenſis*. Sexto: *in Cænobio Sancti Cypriani in Caphiphan*, ubi ſedit *Daniel* Sciamatenſis, ejuſdem Hieremiæ ſucceſsor, qui ſedem tranſtulit primò in Cænobium *Sancti Maronis in Caphar-Hai*,

Hai, Deinde in Cœnobium *Sancti Georgii in Caphar* Diæceſis Byblienſis. Septimò, iterum *in Cœnobio Sanctæ Mariæ in Janoch*, ubi ſedit *Joannes* Danielis Succeſſor, & Simeon, ad quem extat Bulla (*Dat.* 1. *Februar. ann.* 1256.) Alexandri Papæ IV., in qua eadem Eccleſia Patriarchalis *Sanctæ Mariæ de Anoch.* appellatur. Octavo: iterum in Cænobio *S. Mariæ apud Maiphuc in Valle Ailigenſi* Diæceſis Byblienſis, ubi ſedit *Jacobus*, Simeonis Succeſsor, & *Daniel* de Hadeſcit, *Lucas* de Beneharan, & *Simeon*, & *Joannes*, & *Gabriel* de Hagiule, qui Martyrium ſubiit anno Chriſti 1367. Nonò: *In Cænobio Sancti Sergii in Hardin* Diæceſis Tripolitanæ, ubi ſedit *David* cognomento *Joannes*, Gabrielis antedicti ſuccesſor ab anno 1367. ad annum 1404. Decimo: *in Cænobio Sanctæ Mariæ de Cannubin in Monte Libano*, Diæceſis Tripolitanæ, ubi anno 1440. Sedem Patriarchalem fixit *Joannes* Giagenſis, poſtquam ab anno 1404. ad annum 1440. in Cœnobio Sanctæ Mariæ in Maiphuch ſediſset. Ibidem, hoc eſt, *in Canubinenſi Sanctæ Mariæ Monaſterio*, ſederunt *Joannis* Succeſsores uſque ad præſentem diem, *Jacobus*, nimirum, de Hadeth, *Petrus* item de Hadet, *Simeon Petri* ex Fratre Nepos, *Moyſes* de Accar, *Michael Riſius* de Bacupha, *Sergius* Michaelis Frater, *Joſeph Sergii* ex Fratre Nepos, *Joannes* Machluphius de Eden, *Georgius Amira* de Eden, *Joſeph* de Accura, *Joannes* de Saphra, *Georgius* de Besbeel, *Stephanus Aldoenſis* de Eden, Gabriel de Baluza, *Jacobus Evodius* de Hesron, & *Joſeph* Gazenus de Guſta. Ejuſdem Sedis Patriarchalis fit mentio in omnibus Pontificiis Diplomatibus, quæ pro confirmatione novi Patriarchæ expediri ſolent. Decernimus itaque, ac ſtatuimus, illam Patriarcharum fixam ſedem eſſe, nec unquam deſeri, mutari, aut alio ſedem transferri poſſe, niſi ex legitima Cauſa in plena Synodo probata.

6. Ut verò Reverendiſſimus Dominus Patriarcha in his, quæ ad Patriarchalem Dignitatem pertinent, injunctum ſibi munus, qua par eſt, ſedulitate, ac prudentia exercere valeat, idoneos miniſtros eligat Sacerdotali, vel Epiſcopali dignitate orna-

ornatos, quibus res temporales, ac Spirituales Eccleſiæ Patriarchalis committat, & Sancta quidem Synodus antiquæ Majorum noſtrorum conſuetudini inhærens, eodem Reverendiſſimo Domino Patriarcha conſentiente, & approbante ſtatuit ac decernit, ut ſaltem unus, vel bini Suffraganei Epiſcopi, quibus nulla ſit Diæceſis, apud Patriarcham perpetuo maneant tamquam illius Vicarii Generales, quarum uni temporalia, alteri Spiritualia adminiſtranda tradantur, uterque autem Sigillo Patriarchali utatur, collatiſque ſtudiis, cauſas ſibi commiſſas audiant, expendant, ad Patriarcham referant, & cum eodem definiant, ſedis Patriarchalis Bona cuſtodiant, Inventarium a Patriarcha ſubſcribendum conficiant, ſede vacante de omnibus rationem Collegio Metropolitanorum, & Epiſcoporum reddant, idem Inventarium novo Patriarchæ tradant, ut propria manu ſubſcriptum firmetur; Ad nullam autem Diæceſim aſpirent, niſi mortuo illius Epiſcopo, ut ſupra diximus (*Par* 3. *cap*. 4. 4. *can*. 20. :), & ſic promotis, officium ipſo jure vacet, a Reverendiſſimo Domino Patriarcha alteri ſuffraganeo committendum. Pro congrua verò illorum ſuſtentatione ex Patriarchalis Eccleſiæ, & Epiſcopalium Diœceſeon proventibus neceſſaria ſuppeditentur.

7. Quum primum Reverendiſſimum Dominum Patriarcham ad Deum migrare contigerit, unus, vel duo ſuffraganei ſupradicti, vel, illis abſentibus, Archipresbyter, & Archidiaconus ſcriptis Literis per nuncios moneant omnes Reverendiſſimos Dominos Metropolitanos, & Epiſcopos, ut quam celerrimè ad Sedem Patriarchalem conveniant.

I. Per novem ſubſequentes ab obitu dies exequiæ ſolemnes ab iiſdem pro defuncto celebrentur; tertia autem die, vel ſecunda Cadaver in Cœmeterio Patriarcharum de more tumuletur.

II. Si Patriarcha extra ſedem obierit, Synodus pro ipſius exequiis, & novi electione non ibi, ſed apud ſedem celebranda erit. Curandum tamen illius Funus in loco, ubi deceſſerit, & ſi ſucceſſor

ſor voluerit, Cadaver ad Cœmeterium Patriarcharum poſt annum transferatur.

III. Si ob famem, bellum, peſtem, terræmotum, vel Gubernatorum Tyrannidem fieri nequeat, ut Synodus apud ſedem celebretur, integrum erit Metropolitanis, & Epiſcopis, etiam elapſis Novendialibus, ibi convenire, ubi poterunt, deque loco, & tempore Synodi decernere. Qua in re id firmum maneat, quod plurium ſuffragiis decidetur.

IV. Nona die a Prælatis, qui reperti fuerint, eligantur tres Sacerdotes, quorum duo erunt Secretarii Synodi, ac tertius januæ cuſtos. Duo inſuper ex Epiſcopis deputabuntur ſuffragiorum Cognitores.

V. Decima die fit Synodus Metropolitanorum, & Epiſcoporum, eorumque, qui jus ſuffragii ferendi habuerint, in Eccleſia Patriarchali, ubi cantata per Synodi Præſidem Miſſa, Clerus, & Populus dimittitur, & januæ clauduntur, quas ab exteriori parte Sacerdos antedictus diligenter obſervabit.

VI. Is verò Synodo præeſt, qui inter Metropolitanos, vel iis abſentibus, inter Epiſcopos Conſecrationis tempore antiquior eſt: cujus erit Synodum indicere, & locum, ubi agenda erit, deſignare.

VII. Eadem decima die poſt Miſſam Metropolitani & Epiſcopi de Electione Patriarchæ tractare incipiunt, eamque, ſi conſenſerint, perficere poſſunt, modo ſex Epiſcopi ſint, etiam aliis non expectatis.

VIII. Qui per Literas invitati advenire nequiverint, electionem a præſentibus faciendam, ſe ratam habituros ſcripto promittant, & ad Synodum Chirographum ſuum tranſmittant; Procuratorem verò nemo ſubſtituere valeat.

IX. Ad ſuffragia pro electione Patriarchæ ferenda, præter Epiſcopos, & Metropolitanos, nullus ex Presbyteris, vel Monaſteriorum Abbatibus admittatur.

X. Nemo poteſt in Patriarcham eligi, niſi compleverit quadrageſimum annum ætatis, & in ſacro ſaltem Presbyteratus Or-

dine conſtitutus ſit. Antiqua tamen conſuetudo ſervetur, ut ex Epiſcoporum numero ſemper aſſumatur, niſi Epiſcopi ipſi aliter judicaverint.

XI. Electio nullatenus fiat per abſentium, ſed præſentium dumtaxat ſuffragia, eaque ſecreta ſint, & in Schedulis unjuſcujuſque ſigillo, & ſubſcriptione firmatis; & quum ſuffragia aperiuntur, & pronunciantur, non debent nomina eligentium publicari.

XII. In Eccleſia pro electione deputata poſitis ſuper Ara maxima Evangeliis, infra Altare ad majorem Cancellorum portam ponatur menſa, juxta quam, facie ad Orientem converſa, aſſidebit Præſes Synodi inter duos Epiſcopos ſuffragiorum cognitores, unum a dexteris, & alterum a ſiniſtris; item duo Presbyteri Synodi ſecretarii, facie ad Præſidem converſa, qui, data ſervandi ſecreti fide, ſoli ex Patribus non Vocalibus in Synodo admittuntur. Super menſam Calix collocetur, in quem ab Electoribus Schedulæ erunt emittendæ. Ante Portam Eccleſiæ Vas æneum igne plenum, in quod Schedulæ prædictæ ſtatim projiciantur.

XIII. Habeatur ſermo adhortatorius ad Electores a Præſide Synodi, vel ab alio Epiſcopo, de eligendo digniori; Metropolitani verò & Epiſcopi hinc inde in Eccleſia ſedeant pro uniuſcujuſque dignitate.

XIV. Mane poſt Miſſam, januis, ut ſupra, clauſis, bis ſuffragia ferantur, totidemque vicibus poſt cantatas Veſperas; non ſequuta enim Electione, diſcedent ab Eccleſia, & in Cellas ſibi præparatas pergent.

XV. Suffragiorum ordo eſt. Primus Præſes Synodi ſuum ſuffragium in Schedula ſcribat hoc modo: *Eligo in Patriarcham Antiochiæ, totiuſque Orientis, & Paſtorem Nationis Noſtræ Reverendiſſimum Dominum N. Metropolitam, vel Epiſcopum Civitatis N., vel Presbyterum. Ego N. Metropolita N.* Tum Schedulam propriis manibus complicet, & ſigillo obfirmet, atque in præparatum Calicem injiciat: Sequantur ordina-

dinatim Metropolitani, & Epiſcopi.

XVI. Poſt lata ſuffragia in locum ſuum unuſquiſque regrediatur. Tum verò Synodi Præſes cum duobus Epiſcopis ad cognoſcenda ſuffragia electis, Schedulas è Calice extrahat, mox numeret; & ſi Patrum numerum ſuperent, aut minime æquent, electio non conſtabit, nec aperiendæ erunt Schedulæ, ſed continuo in ignem mittantur, & nova electio fiat. Si verò ſuffragiorum numerus bene conſtet, tunc Synodi Præſes coram duobus prædictis Epiſcopis ſuffragiorum cognitoribus ſingulas Schedulas aperiat, & non publicato eligentis nomine, nomen Electi altiori voce pronunciet, ut illud Electores omnes audiant, & a duobus Presbyteris Secretariis in charta notetur.

XVII. Si duæ ex tribus partes Suffragiorum convenire in electione reperiuntur, ea cenſetur facta; alioquin iteranda erit, donec in aliquem duæ partes ex tribus conveniant.

XVIII. Si a Patribus viva voce facta fuerit alicujus electio, illam non eſſe ratam & validam declaramus, niſi in ea omnes, ne uno quidem excepto, conveniant. Quod ſi certum perſonarum numerum ſtatuere voluerint Patres, circa quas, cæteris excluſis, electio paſſiva verſetur, decernimus, hanc perſonarum deſignationem legitimam non eſſe, niſi duæ ex tribus partibus ſuffragiorum Patrum in ea conveniant; Electionem verò unius ex deſignatis perſonis non eſſe ratam, niſi duabus partibus ſuffragiorum ex tribus Vocalium fiat.

XIX. Finito Scrutinio, ſi electio, ut ſupra, legitimè conſtiterit, Præſes Synodi, ſeu Primus Patrum, illam promulget his verbis: *Reverendiſſimi Patres, facta ſuffragiorum collatione, invenimus, hanc Sanctam Synodum convenire in electione Reverendiſſimi Domini N. in noſtrum Patrem & Patriarcham. Ideo nomine totius Synodi, & poteſtate per vos omnes mihi conceſſa, pronuncio, & declaro Reverendiſſimum Dominum N. Electum fuiſſe, & eſſe omnium Noſtrum, totiuſque Nationis Noſtræ Patrem & Patriarcham.*

XX. Facta Electionis proclamatione, Primus Patrum cum

 duo-

duobus Epiſcopis, & duobus Secretariis, accedit ad Electum, & genua flectit coram eo, dicens: *Spiritus Sanctus vocat Te, ut ſis Patriarcha Magnæ Antiochiæ, totiuſque ditionis Apoſtolicæ Sedis, ideſt, Pater omnium Noſtrum.* Et genua flectunt omnes Electores, & Presbyteri Secretarii. Tum vero Electus genibus flexis, & facta paululum oratione, dicit: *Accepto, & obedio.* Deinde ſurgit, reliquis adhuc genua flectentibus, & Pluviali indutus, Mitramque in capite, & Baculum manu deferens, inter duos primos Patrum procedit ad Thronum ad dexteram Altaris paratum: quumque ibi ſederit, accedunt Electores Epiſcopi ordinatim, ejuſque dexteram deoſculantur. Poſtea Decretum Electionis, & Acceptationis deſcribitur a Secretariis, & propria omnium Metropolitanorum, atque Epiſcoporum Electorum ſubſcriptione firmatur. Deinde apertis januis, ab Archidiacono ad Clerum, & Populum proclamatur. Electus verò e Throno deſcendens ſtat ante portam mediam Altaris, & poſt ipſum Electores juxta ordinem ſuum. Incipit Archidiaconus Pſalmum XIX., reliquis alternatim proſequentibus: *Exaudiat te Dominus in die tribulationis*; quo finito Electus Patriarcha, facta Altari reverentia, ad eos genuflexos converſus, facit Abſolutionem generalem in hæc verba: *Deus miſereatur veſtri, & dimittat debita veſtra, & tribuat vobis abſolutionem, & remiſſionem omnium peccatorum veſtrorum, In nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus ✠ Sancti. Reſpondent. Amen.* Et ſurgunt, ejuſque manum Epiſcopi, Metropolitani, Presbyteri, Clerici, & Laici oſculantur. Conſecrationi Dominica proxima, vel Feſtus dies deſignatur.

XXI. Si Electus abſens fuerit poſtquam proclamata eſt, & ſubſcripta illius Electio, aperiuntur portæ, & cantato Pſalmo, Præſes Synodi facit Abſolutionem; Decretum vero Electionis traſmittitur ad Electum cum uno Metropolitano, & duobus Epiſcopis; quod quum ille acceptaverit, ad Synodum pergit, ibique, quæ ſupra dicta ſunt, perficit.

XXII. Quum dies Conſecrationi ſtatuta advenerit, Electus in

in Synodo conſecretur eo ritu, quem ſupra (*Par.* 2. *cap.* 13. *Can.* 47.) deſcripſimus. Peracta autem Conſecratione, Synodicæ Literæ ſcribuntur ad Summum Romanum Pontificem, ab omnibus Metropolitanis, & Epiſcopis ſubſcriptæ, quibus illum de peracta communibus ſuffragiis novi Patriarchæ Electione, & Conſecratione certiorem faciant, ſubmiſſeque petant, ut eam Apoſtolica auctoritate ratam habere velit, Electumque confirmare, eique Pallium, plenitudinis Pontificiæ dignitatis Inſigne, tranſmittere. Ipſe etiam Electus Literas propria manu, & ſigillo Patriarchali ſubſcriptas, una cum Orthodoxæ Fidei profeſſione ad eundem ſummum Pontificem ſcribat, quibus illum ut Sancti Petri ſucceſſorem, & Chriſti Domini in terris Vicarium, ſuumque ſuperiorem agnoſcat, demiſſam obedientiam ei præſtet, confirmationem Electionis, & Conſecrationis ſuæ petat, & Pallium Pontificiæ dignitatis ſibi tranſmitti poſtulet. Quamobrem Eccleſiaſticam perſonam in dignitate conſtitutam, neceſſariis, & opportunis facultatibus munitam, velut Oratorem & Nuncium ſuum ad ſedem Apoſtolicam quamcelerrime proficiſci jubeat, qui nomine ſuo Sacra Apoſtolorum Limina viſitet, ſummo Pontifici obedientiam exhibeat, confirmationem, & Pallium inſtanter petat. Quibus rebus, ideſt, diplomate Pontificio, & Pallio a Summo Pontifice de more acceptis, & a Reverendiſſimo Domino Patriarcha ſolenni ritu exceptis, quemadmodum ad calcem Ordinationis Patriarchæ in Pontificali præſcribitur, plena & abſoluta in ſuo Antiocheno Patriarchatu ſuper univerſam Maroniticam Nationem juriſdictione fungitur. Ad alios autem Orientis Patriarchas non ſcribat, niſi communionem cum Sancta Romana Eccleſia habeant.

XXIII. Duplex eſt Patriarchæ Pallium, quod Omophorium, Epitrachelion, ſeu Superhumerale, dicitur. Alterum brevius ex lana alba contextum, & Crucibus nigris ornatum, quod a Summo Pontifice noſtro Patriarchæ, vel Archiepiſcopo traditur de Corpore beati Petri ſumptum, in quo eſt plenitudo Pontificalis officii, ut illo utatur intra Eccleſiam ſuam certis die-

diebus, qui exprimuntur in privilegiis ab Apoſtolica Sede conceſſis. Alterum largius & longius in modum ſtolæ magnæ Pontificiæ ex ſerico confectum, phrygio etiam opere ornatum, & Crucibus, ut plurimum, rubeis diſtinctum. Iſto utitur Patriarcha ſtatim a ſua Conſecratione; eſt enim unum ex indumentis Patriarchalibus in omnibus Sacris functionibus adhibendum, quotieſcumque Patriarcha paramentis Pontificiis induitur, & alterum Pallium non adhibet. Illo verò, quod Romanus Pontifex concedit, non poteſt uti extra ſuum Patriarchatum, & non omni tempore, ſed tantum in Eccleſiis in Miſſarum ſolemniis, in Feſtis præcipuis, non in Proceſſionibus, neque in Miſſis pro Defunctis. Et quia Pallium iſtud eſt perſonale, ideo commodari non poteſt, neque in morte alicui relinqui, ſed Patriarcha cum eo ſepeliri debet. Poſtquam autem iſtud a Summo Pontifice obtinuerit, poterit & ipſe Patriarcha ſuis Suffraganeis Pallium largiri, illud, ſcilicet, largius, & longius, quod in Eccleſia Orientali Metropolitanis tantum, vel inſigniorum Eccleſiarum Epiſcopis conceditur, certis item diebus intra Eccleſiam ſuam adhibendum; ſic tamen ut Monaſticum Schema ab omnibus retineatur, quemadmodum præcipit Sacroſancta octava Synodus. (*Conſtantinopolitan. anno* 870. *canones* 27.) *Secundum traditas formas per ſingulas Provincias, ac Regiones, & Urbes in Eccleſiaſticis promotionibus, & Conſecrationibus illa, quæ indicia, & ſigna ſunt Ordinis, qui unicuique ineſſe videtur, retineri decernimus, ita ut Epiſcopi quibus conceſſum eſt Palliis uti certis temporibus, in eiſdem temporibus, & locis iis induantur, & tanto, & tali non abutantur Amictu propter typhum, & inanem gloriam, & humanum placorem, atque ſui amorem; omni, videlicet, tempore Divini Sacrificii, & omnis alterius Eccleſiaſtici miniſterii hunc inepte portantes. Illos autem, qui reverenter Monaſticam vitam ſectati ſunt, & Epiſcopalem meruerunt honorem, conſervare ſchema, & amictum Monachicorum indumentorum, & ipſam beatam vitam decernimus; & nullus omnino habeat poteſtatem deponere jam dictum ſchema*

pro-

propter typhum, & arrogantem voluntatem, ne per hoc inveniatur propriorum tranſgreſſor pactorum. Sicut enim ibi continuus Palliorum amictus faſtigioſum, & ſuæ gloriæ deditum demonſtrat Epiſcopum; ita & hic depoſitio, ac denudatio Monachici habitus nihilominus eiſdem ſubmittit criminibus eum, qui hoc feciſſe captus extiterit. Quiſquis ergo Epiſcopus præter definita ſibi ſcripto tempora ſe Pallio induerit, aut Monaſticarum veſtium ſchema depoſuerit, aut corrigatur, aut a Patriarcha proprio deponatur.

8. In Electione Patriarchæ nemo Laicorum ſe immiſceat quovis titulo, aut prætextu; nullus etiam Clericus, præter Epiſcopos, & Metropolitanos, ſuffragium habeat. Si quis autem (*Par.* 3. *cap.* 4. *can.* 15.) Secularibus Principibus uſus, per eos Patriarchalem dignitatem ab Epiſcopis obtinuerit, aut Epiſcopos muneribus, ſive promiſſionibus, aut quocumque pacto ad ſui Electionem faciendam ſubornaverit, vel induxerit, ſit ipſo facto excommunicatus, ejuſque Electio irrita, & invalida ipſo jure cenſeatur.

9. Singulis decenniis tenetur Reverendiſſimus Dominus Patriarcha Limina Apoſtolorum per certum Nuncium, ad hoc ſpeciale mandatum habentem, viſitare, & ſummo Romano Pontifici rationem reddere de toto ſuo paſtorali Officio, ac de rebus omnibus ad ſuæ Eccleſiæ ſtatum, ad Cleri, & Populi diſciplinam, animarum denique, quæ ſuæ fidei traditæ ſunt, ſalutem quovis modo pertinentibus, quemadmodum in forma juramenti ab ipſo, dum Pallium recipit, præſtiti exprimitur.

10. Conjurationis, vel conſpirationis crimen ab externis etiam legibus eſt omnino prohibitum; multo magis autem hoc in Dei Eccleſia fieri prohibere oportet. Si qui ergo Clerici, vel Monachi inventi fuerint conjurantes, aut conſpirantes, aut inſidias ponentes adverſus Epiſcopos, & Clericos, proprio gradu omnino excidant; quemadmodum Sacra Chalcedonenſis (*Chalced. Can.* 18.) Synodus definit. Idem nos de Laicis decernimus, qui in Epiſcopos, vel Clericos quoſcumque conſpirant, Excommunica-

nicationi latæ ſententiæ illos ſubiiciendo. Eandem quoque excommunicationis ſententiam Sancta Synodus pronunciat in Epiſcopos, & Metropolitanos, qui auſi fuerint Pontificiam dignitatem ab alio, quam a Reverendiſſimo Domino Patriarcha accipere, aut conſpirationes adverſus eumdem Reverendiſſimum Dominum Patriarcham facientes, inſidias contra ipſius perſonam moliti fuerint, aut ad Gubernatorum Laicorum Tribunal illum pertrahere, vel Conciliabulum adverſus eum congregare, vel ipſum quoquomodo inhonorare, ſeu ſcriptis, vel dictis injurias quaſdam contra eum promulgare ſub occaſione quaſi diffamatorum quorumdam Criminum, vel factas ad ipſum appellationes impedire, aut ab ejus ſententia ad Seculares, ſeu Eccleſiaſticos quoſcumque, etiam Patriarchas, præter Romanum Pontificem, appellare; vel mandatorum ejus exequutionem retardare; proceſſum Cauſarum perturbare, ſententiam denique excommunicationis, ſuſpenſionis, aut depoſitionis contra eum pronunciare præſumpſerint; ſedes enim Patriarchalis a nemine, præterquam a Romano Pontifice judicari poteſt. Si qua autem Epiſcopos inter, & Patriarcham gravis controverſia oriatur, ad Romanam Sedem omnino recurrant, nec audeant Patriarcham judicare, vel condemnare. Si ſecus fecerint, ſint ipſo facto excommunicati, & quæcumque eorum Acta, tamquam irrita, nulla, & invalida declaramus; renovantes hunc Sacroſanctæ Octavæ (*Conſtantinop.* IV. *Can.* 21.) Synodi Canonem, qui ſequitur. *Dominicum Sermonem, quem Chriſtus Sanctis Apoſtolis, & Diſcipulis ſuis dixit, quia,* qui (*Luc.* 10.) Vos recipit, me recipit, & qui vos ſpernit, me ſpernit, *ad omnes etiam qui poſt eos ſecundum ipſos facti ſunt ſummi Pontifices, & Paſtorum Principes in Eccleſia Catholica dictum eſſe credentes, definimus, neminem prorſus mundi potentium, quemquam eorum, qui Patriarchalibus ſedibus præſunt, inhonorare, aut movere a proprio Throno tentare, ſed omni reverentia, & honore dignos judicare, præcipue quidem Sanctiſſimum Papam ſenioris Romæ, deinceps autem Conſtantinopoleos Patriarcham, deinde verò Alexan-*

xandriæ, ac Antiochiæ, atque Hyroſolimorum; ſed nec alium quemcumque conſcriptiones contra Sanctiſſimum Papam ſenioris Romæ, ac verba complicare, & componere, ſub occaſione quaſi diſfamatorum quorumdam criminum; Quod & nuper Photius fecit, & multo ante Dioſcorus. Quiſquis autem tanta jactantia, & audacia uſus fuerit, ut ſecundum Photium, vel Dioſcorum in ſcriptis, vel ſine ſcriptis injurias quaſdam contra ſedem Petri Apoſtolorum Principis moveat, æqualem, & eamdem, quam illi condemnationem recipiat. Si vero quis aliqua ſeculi poteſtate fruens, vel potens, pellere tentaverit præfatum Apoſtolicæ Cathedræ Papam, aut aliorum Patriarcharum quemquam, anathema ſit.

APPENDIX II.

IN QUA RITUS ORDINATIONIS EX

JOHANNIS MORINI

Verſione Latine exhibetur unacum Adnotationibus ejuſdem Cl. Viri.

RITUS ORDINATIONIS EPISCOPI.

P*Rimum Oratio principii, & Pſalmus conſuetus,* Miſerere mei. *Archidiaconus offert incenſum & dicit*: Benedic Domine. *Stemus pulchre in Oratione*. Et reliqua. *Epiſcopus ponit Aromata, & precatur. Interea dicitur*. Ego ſum lumen. Cum Acceperunt Apoſtoli in Cœnaculo Spiritum Sanctum Paraclitum, egreſſi ſunt, docuerunt (1), Et prædicaverunt mundo fidem veram, & gradus Sacerdotii Ordinaverunt; Conſtitueruntque in eo Paſtores, qui Gregem Chriſti paſcerent in rectitudine,& juſtitia, uſque ad finem, & Conſummationem. Benedictus qui Ordines Sacerdotii in terra magnificavit, & ſurſum in Cœlis, eique in excelſo, in profundo, & in omnibus partibus authoritatem plurimam dedit. Ecce in medium Eccleſiæ ea deducitur, & circumfertur, in Capite Sacerdotii, in Ordinibus Superioribus, & inferioribus Diaconorum, Sacerdotum, Pontificum, & Paſtorum.

Epiſcopus thus accipit. Diaconus clamat Ephremiticum.

Verte

(1) Syrè ܬܠܡܕܘ a radice ܬܠܡܕ, docuit. Ita Matth. 28. 19. ܬܠܡܕܘ, docete, & Act. 14 verſ. 20. Paulo poſt ܐܘܪܒ, magnificavit. Sic Lucæ 1. 46. ܡܘܪܒܐ ܢܦܫܝ ܠܡܪܝܐ Magnificat anima mea Dominum.

Verte retro quatuor folia in Ordine Chorepiſcoporum, & illud invenies. Tum dicunt (1) Santificaſti Deus. *Et eum ducunt duo Chorepiſcopi, unus a dextra ejus & unus a ſiniſtra. Tum Archidiaconus dicit.*

Offerimus Sanctitati tuæ, o Pater noſter Sancte, & electe Dei, Domine N. Metropolita noſter, hunc Dei amantem, N. qui huc accedit, & impoſitionem manus Divinæ accepit ex ordine Chorepiſcopi, qui excelſior eſt, & dignior Archipresbytero ſuper Altare Sanctum Domini ſancti N. Urbis benedictæ, & Chriſtum amantis N. Eſt autem ſubditus beatitatis tuæ, Pater noſter. Pro eo precemur & oremus Deum dicamuſque tribus vicibus, Kyrie eleiſon.

Epiſcopus precatur, & ſtat in faciem ejus, circumducuntque eum per Eccleſiam, dicentes Peſitam. Benedictus eſt ille (2) qui dedit Sacerdotium Apoſtolis duodecim, & miſit eos in mundum, ſicque dixit eis, quod ſi ligaveritis, ego ipſe ligabo, ſi autem ſolveritis, ego ipſe ſolvam. Ipſe dedi vobis claves excelſi, & profundi. Ordinem Sacerdotii conſtituite in omnibus Eccleſiis.

Altera Oratio (3). Tibi laus Deus, Domine terræ, & Cœli, qui donum Servo tuo dediſti, ut gubernet ſecundum voluntatem tuam. Exultet in eo, & in præceptis ejus Eccleſia Sancta, omneſ-

(1) (Male vertit, cum textus habeat: *Sanctus es*)

(2) Scribitur ܒܪܝܟܘ transferendum videretur, Benedicite, vel Benedixerunt. *Sed vera eſſet obſervatio Morini, ſi ſcriberetur* ܒܪܟܘ, *cum vero ante literam* ܟ *ſit litera* jod, *ideo melius ratiocinatur dum ſubdit.* Sed eſt participium Pahul, ſeu paſſivum, ܒܪܝܟ: cui adjungitur ܗܘ, & contracte, ſeu Euphoniæ cauſſa, eliditur ܗ, & ſcribitur ܒܪܝܟܘ pro ܒܪܝܟ ܗܘ.

(3) Scribitur in textu ܦܫܬܐ Oratio, ſupplicatio: ſed mihi legendum videtur. ܦܫܝܛܬܐ. Quare dicitur alia Oratio, cum Oratio non præceſſerit, ſed Peſita?

omneſque filii ejus ex ipſius doctrina lætificentur: & cum exorta fuerit divinitas tua in occurſum tuum cum gaudio egredietur.

Pſalmus, Laus ei. *Et Apoſtolus Epiſtola ad Hebræos: iſta deſcribuntur in Ordine Archipresbyteri. Epiſcopus autem legit Evangelium ex Johanne, & Archidiaconus dicit alta voce.* Chriſte Deus omnium.

Tu ille es (1) qui elegit ſibi in medio Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, Sacerdotes caſtos, veraces, qui Sacerdotio cum puritate fungerentur, & concorditer cum cœtibus Seraphim ſuperiorum, amore arderent, & commoverentur (2).

Precemur, Chriſte, Deus omnium. Ille, qui eſt cognitor occultorum, & ſcrutator cordium & renum, elegit, & obtulit hodie hunc Servum Dei N. in Ordinem excelſum, & ſublimem Aaronis capitis Sacerdotum, & primi Patrum. *Oremus, Chriſte Deus omnium.*

Tu ille es, cui Cherubim benedicunt, quem Seraphim ſanctificant, Angeli laudant, vigiles exaltant, Igniti glorificant, & ſpirituales celebrant. *Supplicemus, Chriſte Deus omnium.*

Ille, in cujus conſpectu adſtant millia millium, & myriades myriadum ſubjiciuntur, & cujus majeſtati ſervientes tremunt, conſtituit ſibi in Eccleſia ſancta Sacerdotes de genere terrenorum, ut illi perpetuo Sacerdotio fungerentur, eumque laudibus honorarent. *Oremus, Chriſte Deus omnium.*

Tu ille es, qui verbo tuo vivifico, & gratia tua Divina juſſiſti omnibus Sacerdotibus, ut diligenter attenderent, & ſe- præ-

---

(1) Perſonarum eſt enallage. Iſta in tertia perſona dicuntur, *Ille, qui elegit ſibi, &c.* Sed ſubaudienda ſecunda perſona quam expreſſimus, alias mancus eſt ſenſus, & ſubaudienda eſſet periodus velut redditio, quæ ſemper abeſt. Eadem perſonarum Enallage continuatur ad finem uſque ritus. Vide quæ ſupra diximus ad num. 45. (in Tom. 9. pag. 283.) Hic eadem magna ex parte repetuntur.

(2) *In Syriaco textu Morini deeſt, Tò*, amore arderent. *Vid. Verſionem noſtram, quæ omnino conſulenda, ut Sphalmata verſionis Morinianæ corrigantur.*

præpararent ad hoc Sacerdotium, ad quod præſentati ſunt, & quod acceperunt. *Precemur, Chriſte Deus omnium.*

Tu es ille propitiator delictorum, & condonator peccatorum, qui peccatrici remiſit, & Latroni propitiatus eſt, & Zacchæum juſtificavit, Simeonem ſuſcepit, & ſuper David miſericordia affectus eſt. Servo tuo huic parce, juxta vehementem ſanctæ tuæ miſericordiæ affectum. *Oremus, Chriſte Deus omnium.*

Tu es ille excelſus, & tremefaciens ſuperna, & ad cujus præſentiam inferna timore concutiuntur: Ipſe eſt, qui acceptat ſecundum miſericordiam ſuam preces, & orationes tuas, & dignos efficit nos omnes, qui miſceamur, & inſeramur (1) turmis & Ordinibus eorum, qui bona operantur. *Oremus, Chriſte Deus omnium.*

Parce nobis ſecundum miſericordiam tuam, & deduc nos ſecundum gratiam tuam, & paſce nos ſecundum benignitatem tuam, & perfice ſtationem noſtram, quæ eſt in conſpectu tuo, & ſuſcipe ſupplicationem noſtram pro ſervo tuo hoc; Pſalmos quoque & laudes, & invocationes, & proclamationem, & Chirotoniam, quam hodie accepit. Unam autem vocem trinam, qua placatur Divinitas tua, dignare nos emittere, tribus ſcilicet vicibus, Kyrie Eleiſon. Explicit.

ORDO

(1) Hoc Syris propriè ſignificat verbum ܚܠܛ. Ut Luc. 13. 1. de Galilæis, *quorum ſanguinem Pilatus miſcuit cum ſacrificiis eorum* ܚܠܛ ܘܕܡܗܘܢ ܥܡ ܕܒܚ̈ܝܗܘܢ. Hebr. 3. 14. *Participes enim Chriſti effecti ſumus*, ܐܬܚܠܛܢ 1. Cor. 5. 11. *Scripſi vobis non commiſceri*, ܘܠܐ ܬܬܚܠܛܘܢ Eadem ſignificatio eſt Chaldæis & Rabbinis uſitatiſſima.

ORDO QUO CONSECRATUR PATRIARCHA.

PRimum dicit Clerus (1) *hunc Hymnum : quia Dominus eſt Spes noſtra.*

Tunc locutus eſt in viſionibus cum Juſtis ſuis, Sanctis ſuis ; & exaltavi Electum de populo meo. Propter hoc unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ & gaudii, excellentius, quam participes, Socii tui. *Vnus autem ex Epiſcopis legit Acta* (2). Dilecti poſtquam præcepit Jeſus Apoſtolis, quos elegerat per Spiritum Sanctum, atque etiam ſeipſum demonſtraſſet eis poſt paſſionem in ſignis

---

(1) Scribi debet ܩܠܪܘܣܐ hoc modo ܩܠܝܪܘܣ Clerus, aut ܩܠܝܪܝܩܘܣ clericus, pluralis ſæpe legitur ܩܠܝܪܝܩܐ. Dictionem ܙܘܡܪܐ, quæ ſequitur, interpretati ſumus hymnum, licet frequentius pſalmum ſignificat. Vide quæ diximus ſupra num. 20. (*in Cod. noſtri Tom. 9. pag.* 241.) Titulus eſt in Codice qualem expreſſimus. Sed error videtur ; Nam ex lectione ritus colligitur nihil in eo de Ordinatione ſpeciali Patriarchæ præcipi, ſed eſſe Epiſcopi Ordinationem a Patriarcha factam : Ritum verò præcedentem eſſe Epiſcopi Ordinationem a Metropolita celebratam, ſed imperfectam, & inchoatam tantum. Videtur ûnus tantum ritus utroque titulo contineri ; & in priore deſcribi quæ ſpecialia ſunt cum Metropolita eſt ordinator. Cætera ex poſteriore titulo pendere. *Hæc Morinus, cæterum vide verſionem noſtram, & inclareſcet Ritus. Etenim prior quidem eſt cum Epiſcopus ordinatur a Metropolitano; Ritus autem iſte eſt, cum vel Patriarcha conſecratur, vel Metropolitanus a Patriarcha ordinatur.*

(1) Lectio iſta conſarcinata eſt ex variis locis, ex Actorum capite primo verſus 2. medio uſq. ad 9. Deinde jungit verſum 24. & 25. Poſtea aliquid delibat de Capite ſecundo de verſu ſcilicet 14. 22. 23. Quibus jungit verſus 2. 3. 4. 5. 6. Cap. ſexti. Deinde tranſit ad Cap. 8. verſ 14. uſque ad 22. poſtea tranſit ad Cap. 12. verſ. 25. & ſecundum Cap. 13. Quibus aliquid adaptat de verſu 13. 15. atque 16. Cap.1. Epiſtolæ primæ S. Petri. Denique his omnibus ſuperaddit quatuor primos verſus Capitis quinti ejuſdem Epiſtolæ. Hæc autem omnia ita ſibi invicem attexuntur, ut ex oratione continua videantur petita : Scriba tamen nonnumquam verbula quædam oſcitanter omiſit, quę ex Textu Novi Teſtamenti Syriaco reponi poſſunt.

ſignis multis per dies 40. apparens eis, loquens eis de Regno Dei, necnon cum eis panem manducans præcepit eis, ut de Jeruſalem non diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Patris, quam audiſtis a Johanne, qui Baptizavit in aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sanctitatis non poſt dies multos. Illi igitur cum conveniſſent, interrogaverunt eum dicentes ei: Num hoc tempore reſtitues Regnum Iſraeli. Dixit eis ipſe. Non eſt veſtrum hoc, noſſe tempus, aut tempora, quæ Pater poſuit in poteſtate ſua, ſed cum venerit Spiritus Sanctus ſuper vos, accipietis virtutem, & eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & omni Judæa; atque etiam Samaria, & uſque ad fines terræ. Et cum orarent, dixerunt. Tu Domine noſti quod eſt in cordibus omnium, oſtende virum quem ex iis elegiſti, ut accipiat ſortem miniſterii Apoſtolatus a quo diſceſſit Judas, ut abiret in locum ſuum. Et jecerunt ſortem, & aſcendit in Mathiam, & adnumeratus eſt cum undecim Apoſtolis. Et cum congregati eſſent omnes ſimul, factus eſt repente ſonus de Coelo velut ſpiritus vehementis, & repleta eſt ex eo omnis domus in qua ſedebant, & repleti ſunt omnes Spiritu Sanctitatis. Cum autem ſurrexiſſet Simeon Cephas dixit, Viri fratres, & omnes illi, qui habitant in Jeruſalem, hoc notum ſit vobis, & auſcultate verba mea: Jeſus Nazarenus, homo, qui erat a Deo, viſus eſt apud vos in virtutibus, & in ſignis, & præclare factis, quæ Deus fecit inter vos per manus ejus. Hunc ad hoc ſegregaverat Deus in præſcientia, & voluntate ſua: Et ipſe eſt qui dextra Dei exaltatus eſt, & accepit ab eo promiſſionem de Spiritu Sancto, & effudit hoc donum quod videtis, & auditis. Vobis autem & filiis veſtris promiſſio facta eſt accipiendi donum Spiritus Sancti. Tunc convocaverunt XII. Apoſtoli omnem Congregationem Diſcipulorum, & dixerunt eis: Inquirite igitur Fratres, & eligite ſeptem viros ex vobis ſuper quos ſit teſtimonium, plenos Spiritu Domini, & ſapientia, & conſtituemus eos ſuper hoc opus, nos autem perſeverantes erimus in Oratione, & miniſterio verbi pro univerſo populo. Et elegerunt Stephanum virum plenum

Spiritu

Spiritu Sancto, & Philippum, & Procorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum Proſelytum Antiochenum. Illos ſtatuerunt in conſpectum Apoſtolorum, & cum orarent, impoſuerunt eis manus. Cum autem audiviſſent qui in Jeruſalem, quod accepiſſet populus Samariæ Verbum Dei, miſerunt ad eos Simonem Petrum, & Johannem. Cum autem deſcendiſſent ad eos, oraverunt ſuper eos, ut acciperent Spiritum Sanctum. Videns autem Simon, quod per manus Apoſtolorum dabatur Spiritus Sanctus, obtulit eis argentum, dicens, Date etiam mihi poteſtatem hanc, ut ſuper quem manus imponam, recipiat Spiritum Sanctum. Dixit illi Simeon Petrus, Argentum tuum tecum abeat in perditionem: Quia putaſti quod donum Dei poſſeſſionibus, & divitiis ſæculi comparatur. Non eſt tibi pars, neque ſors in fide iſta. Barnabas autem, & Saul reverſi ſunt ex Jeruſalem Antiochiam, poſtquam confecerunt miniſterium ſuum, & duxerunt ſecum Johannem, qui cognominatus eſt Marcus. Cum autem jejunarent, & orarent Deum. Dixit eis Spiritus Sanctus, ſeparate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod eos vocavi. Et poſtquam jejunarunt, & orarunt, impoſuerunt ſuper eos manum, & dimiſerunt eos. Illi autem miſſi a Spiritu Sancto deſcenderunt Seleuciam, & inde deſcenderunt per mare in Cyprum. Et dixerunt eis: Fratres accingite lumbos cogitationum veſtrarum, & evigilate perfecte, & ſperate in gaudium quod vobis in revelatione D.N.J. Chriſti adventurum eſt. Eſtote quoque ſancti in omnibus actionibus, & converſationibus veſtris, ut ipſe Sanctus eſt, qui vocavit vos. Propterea dixit. Eſtote Sancti ſicut & ego Sanctus ſum. Vobis itaque data eſt gloria iſta, qui credidiſtis. Dixit autem eis Petrus. Rogo ego Presbyteros, qui ſunt inter vos, Presbyter ego Collega veſter, & teſtis paſſionum Chriſti, & particeps gloriæ, quæ revelanda eſt. Paſcite gregem Dei, qui creditus eſt manibus veſtris, & viſitate illum ſpiritualiter, non violenter, ſed ſponte; non propter lucra turpia, ſed ex toto corde veſtro, non ut Domini gregis, ſed ita ut ſitis bonum exemplum, ut cum apparebit princeps

ceps Paſtorum accipatis ab eo coronam gloriæ, quæ non marceſcit.

Iterum legit Epiſcopus alium Apoſtolum ex Epiſtola ad Timothæum. Fratres. Hoc præceptum commendo tibi, Fili Timothee (1) ſecundum præcedentes prophetias, quæ de te factæ ſunt, ut milites per eas militiam hanc bonam, in fide, & conſcientia bona. Fidelis eſt ſermo, ſi quis deſiderat Presbyteratum, opera bona deſiderat. Debet igitur Presbyter eſſe talis, ut macula in eo non inveniatur (2), qui fuerit maritus unius vxoris, qui mente vigilet, caſtus ſit, & pudicus, moribus bene compoſitis, amans peregrinos, & Doctor. Qui modum in vino non excedat, cujus manus ad percutiendum non currat, ſed ſit humilis, non litigator, non pecuniæ cupidus, bene regat domum ſuam, contineat filios ſuos in ſubjectione honeſta cum omni puritate. Si quis enim domum propriam non novit regere, quomodo Eccleſiam Dei regere poterit? Nec ſit puer diſciplinæ ſuæ, ſeu Neophytus (3) ne ex-

(1) Id quod diximus de præcedente teſtimonio, de hoc dicendum eſt. Deſumptum eſt ex variis Epiſtolæ primæ ad Timotheum locis continuo tenore conjunctis, Ex Cap. 1. verſ. 18. verſ. 13. Cap.4. 9. 11. 12. 14. Cap.5. verſ. 1. 19. Cap. 6. verſ. 11. 12. Hæc Morinus, *Cui addam. Syriacus textus vult aliumEpiſcopum legere ſequentia Apoſtoli teſtimonia,nam ex Ritu Syriaco Lectiones in hac Ordinatione fiunt a pluribus Epiſcopis, uti videre eſt in noſtra Verſione; hinc verſio ejus ita corrigenda eſt, & quidem ad textum Syriacum, quem ipſe vulgat.* Iterum alius Epiſcopus legit Apoſtolum ex Epiſtola &c.

(2) *Rectius vertendum erat.* Oportet autem Presbyterum illum eſſe, in quo non inveniatur macula.

(3) Præclara Metaphora qua Neophytum deſcribit Interpres, Periculoſum eſt a Neophytis diſcere. Referunt Talmudiſtæ cap.4. Libri Aboth hanc R. Joſve filii Judæ Sententiam הלומד מן הקטנים למה הוא דומה לאוכל ענבים קיחות ושותה יין מגתו והלומד מן הזקנים למה הוא דומה לאיבל ענבים בשלות ושותה יין ישן *Qui diſcit a Juvenibus, cui ſimilis eſt? Comedenti uvas acerbas, & bibenti vinum de torculari ſuo. Diſcens autem a ſenibus, cui ſimilis eſt? Comedenti uvas maturas, & bibenti, vinum vetus.* Hæc Morinus, *Cui ſubjungam, Syriacam phraſim Latine ita reddendam*, Nec recens ac novitia ſit ejus inſtitutio ſeu diſciplina.

extollatur, & incidat in judicium Satanæ. Oportet etiam, ut teſtimonium bonum habeat ab iis, qui foris ſunt, ut non incidat in opprobrium, & laqueum Satanæ. Illi enim, qui bene miniſtraverint, gradum bonum ſibi ipſis acquirent, & fiduciam (1) multam in fide Jeſu Chriſti. Fidele hoc eſt, & dignum quod accipiatur. Hæc doce, & hæc præcipe, & nemo contemnat juventutem tuam, ſed exemplar eſto credentibus, in verbo, & converſatione, & charitate, & fide, & pietate. Nec contemnes fidem, quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per Prophetiam, & impoſitionem manuum Presbyterii. Cum enim hæc feceris, te ipſum vivificabis, & eos, qui te audiunt. Seniorem non increpabis, ſed precaberis ut Patrem, & Juvenes ut fratres tuos, & Anus, ut matres tuas, Juniores ut ſorores tuas in omni caſtitate. Viduas honora, eas quidem quæ verè viduæ ſunt. Adverſus Presbyterum accuſationem non admittes, niſi in ore duorum vel trium teſtium. Eos qui peccant coram omnibus argue, ut cæteri homines timeant. Teſtor ego tibi coram Deo, & Domino noſtro Jeſu Chriſto, & Angelis ejus electis, ut hæc conſerves, nec ulla re mens tua præoccupetur: Nec facias aliquid cum acceptione perſonarum. Manus ſubitò ſuper hominem non impones, ne communices peccatis alienis. Teipſum conſerva in caſtitate, o homo Dei. Curre & ſequere juſtitiam, & puritatem, & fidem, & charitatem, & patientiam, & humilitatem. Pugna autem agonem bonum fidei; apprehende vitam æternam, quoniam ad hæc vocatus es; jamque confeſſus es confeſſio-

(1) Syri hoc vocant ܓܠܝܐ ܐܦ̈ܐ *revelationem facierum*, eo quod, qui explicata, & exporrecta fronte loquitur, confidenter quoque loquitur; dicitur etiam eodem ſenſu ܓܠܝܐ ܥܝܢܐ *revelatio oculi*. Rabbini in malam partem hanc phraſim uſurpare ſolent, pro impudentia, protervia מגלה פנים באלהיםבתורה Revelat faciem contra Deum, contra Legem, ideſt impudenter, potervè, perfricata & inverecunda fronte,

feſſionem bonam coram teſtibus multis. Atteſtor ego te coram Deo qui vivificat omnia, & Jeſu Chriſto, qui confeſſionem edidit coram Pontio Pilato, Confeſſionem pulcherrimam, ut ſerves mandatum quod eſt ſine macula, & ſorde, uſque ad revelationem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui eſt judicaturus viſtos & mortuos: Ipſe eſt cui gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

Poſtea dicitur laudatio, & Patriarcha legit Evangelium. Poſt lectionem autem Evangelii ſedet Patriarcha ſuper thronum ſuum, & unuſquiſque Epiſcoporum ſecundum gradum ſuum. Tunc offerunt ei illum qui ordinatur. Stat autem verſus alam altaris ad latus dexterum; & cum jubet Patriarcha (1), *legit volumen confeſſionis, quod prius manibus ſuis ipſe ſcripſerat. Et quum tradidit Patriarchæ volumen quod ſcripſit ut illud conſervetur, Epiſcopi adducunt eum coram altari, & flectit ambo genua, habens ſuper ſe* (2) *ornatum Presbyteratus ſui. Deinde cidarim ab eo detrahunt* (3), *uſque ad tempus ſuum. Tunc Patriarcha ſurgit*

---

(1) Nomen ܡܘܕܝܢܘܬܐ, Græcum eſt, ὁμολογία: Ritus ille a Græcis ſumtus atque etiam a Latinis, Græci triplicem edere ſolebant confeſſionem ut vidimus. Latinorum etiam conſuetudo hac in re ex antedictis conſtat, quam quilibet cum Maronitarum ceremoniis comparare poteſt. Ejuſmodi confeſſionem edit quoque Epiſcopus Jacobitarum cum ordinatur, ut infrà enarrabitur.

(2) Nomen ܫܕܝܐ Chaldæis ut Syris jactum, & projectionem propriè ſignificat. Itaque habere projectionem Presbyteratus in hac cauſa eſt veſtibus Presbyteralibus eſſe indutum. Senſus eſt, Ordinandum dum genua flectit geſtare adhuc ornamenta Presbyteralia, nondum Pontificalia.

(3) Nomen ܡܨܢܦܬܐ Hebraicum eſt מצנפת, & legitur Exod. 28. 4. & Levit. 16. 4. ut & apud Syros, & Chaldæos. Chaldæi iiſdem literis illud efferunt, quibus Syri. Ab omnibus interpretari ſolet Cidaris, capitis tegumentum, quo Reges & viri principes caput operire ſolent; frequentius Hebræis צניף dici ſolet. Samaritani in dialecto ſua efferunt מצנפה. Derivatur a verbo צנף quod Hebræis, Chaldæis, & Syris eſt involvere,

git à ſede ſua, & accedet in conſpectum altaris; incipitque miniſterium ſecundum. Dum autem precatur, dicunt hymnum miſerere; Patriarcha verò dicit ordinem. Vnus autem ex Epiſcopis antiquioribus circumit cum thuris ſuffumigatione, & altare, & univerſam Eccleſiam, eumque comitantur duo Presbyteri, & duo Diaconi cum luminaribus & flabellis, dicuntque. Sanctus qui majeſtatem ſuam habitare facit ſuper montem.

Patriarcha dicit, Pax vobiſcum. *Populus*, cum Spiritu tuo. *Tunc Patriarcha jubet uni ex Epiſcopis, ut alta voce hoc edictum pronunciet* (1), Gratia divina quæ infirma ſanat, & deficientia complet, quæque curat ea quæ ad Eccleſiam ſpectant, vocat & ordinat hunc N. amantem Dei ſuper gregem benedictum. Oremus igitur omnes, ut veniat ſuper eum gratia & inhabitatio Spiritus Sanctitatis. Clamemuſque & dicamus tribus vicibus, Kyrie eleiſon.

Patriarcha precatur, & imponit manus ſuper corpus, & ſuper calicem ut conſummet, teguntque manus ejus (2) *cum velo. Poſtea revertitur ad eum qui ordinatur,* (3) *eaſque imponit*

---

re, circumdare. Unde Iſaiæ 22. 18. צניפ יצנפך צנפה circumdando circumdabit te Cidari, Vulgata interpretatur, coronans coronabit te tribulatione: ultimam dictionem alio ſenſu accepit, ut & alii interpretes.

(1) Illa eſt proclamatio ſolemnis apud Græcos, in qua nonnulli Ordinationum ſacrarum formas omnes venantur. De ea in operis noſtri tertia parte multa diſputamus, quæ Lector curioſus adire poteſt.

(2) ܦܕܬܐ Ephod ſignificat, ut legere eſt Exodi 28. verſ. 4. 6. 8. & c. 39. 5. quod eſt amictus humeralis e lino contextus, cujus Sacræ Scripturæ veteris teſtamenti non infrequenter meminerunt. Samaritani ut & Chaldæi dictionem Hebraicam אפודה retinuerunt. Hic tamen velum aliquod ſacrum ſeu linteum videtur potius ſignificare quam ſuperhumerale quodlibet.

(3) In textu Syro pronomen relativum, *Eas*, non exprimitur, neceſſariò tamen ſubaudiendum, & ad *manus* quod præcedit referendum. Ver-

nit ſuper caput ejus (1), *ac ei aptat. Interea Epiſcopi duo manibus ſuis ſuſtinent Librum ſanctorum Evangeliorum apertum ſuper manus Patriarchæ, & alii ſuſtinent flabella ſuper Evangelium.*

Tunc

Verbum ܪܡܐ proprie jacere ex alto deorſum Chaldæis & Syris ſignificat. Matth. 13. verſ. 42. Et projicient eos in fornacem ignis, ܘܢܪܡܘܢ ܐܢܘܢ, &c. ſic verſu 50. Itaque ex materia ſubjecta neceſſario hic manuum impoſitionem denotat. Quid enim aliud ſignificare poteſt? *Et projicit ſuper caput ejus*. Ita interpretandum Johannis 5. verſ. 7. *Hominem non habeo ut cum turbata fuerit aqua mittat me in piſcinam*: ܕܢܪܡܝܢܝ ܠܟܘܠܝܡܒܝܬܐ, *qui ponat me in piſcinam*, Non enim projiciebatur ut lapis? Ibidem verſ. 3. & 6. ܪܡܝܢ jacentes de ægrotantibus in lecto dicitur. Math. 10. verſ. 34. *Ut mittam pacem in terram*, ܕܐܪܡܐ *ut ponam & ſtabiliam*. 1. Tim. cap. 1. verſ. 4. ſignificat animum alicui rei applicare, apponere, attendere.

(1) Verbum Syrum ܡܫܚ duo ex æquo pro ratione ſermonis ſignificare ſolet, menſuram, & unctionem. Eadem fere ſignificationis ratio eſt apud Chaldæos. Menſuræ ſignificationem hic ſecuti ſumus. Imponit Patriarcha manus capiti, eaſque ei commetitur, ſeu accommodat. Hoc autem illi eſſe neceſſarium ſequentia docent. Manus enim ita componere debet, ut & ipſe, ut Epiſcopi qui adſtant cœremonias quæ manuum impoſitionem ſtatim ſubſequuntur, ritè exercere valeant. Poſſet forſan hic per commotionem interpretari, ſi ſpectemus Jacobiticæ Ordinationis ritus. Nam Maronitici, & Jacobitici ritus iidem prope ſunt. Eo autem loco Ordinationis, & eadem occaſione, propter quam Maronitæ dicunt, ܘܡܫܚ, & aptat ſive commetitur. Jacobitæ dicunt, ܘܡܙܝܥ & *commovet*, ſeu *motitat*, ut legitur in Ordinatione Epiſcopi. Uſurpatur quoque ab iis idem verbum in Ordinatione Diaconi, ubi de eadem manus impoſitione Diacono facienda res agitur. Sed unctionis ſignificationem induere non poteſt, cum ne quidem in Occidente unctio Diaconornm fuerit uſurpata. Deinde unctio convenire non poteſt cum eo, quod tum agit Epiſcopus. Corpus, & Sanguinem Chriſti manu tangit, poſtea de Sanguine Chriſti in pugillum infundit, ſicque manus præparatas ſuper Ordinandi caput imponit, & cætera manibus peragit quæ ad unctio-

Tunc Patriarcha attollit manus ſuas; & extendit brachia, eaque elevat & deprimit tribus vicibus ſuper caput illius qui ordinatur.

ctionem nullomodo referri poſſunt, ut textum legenti erit luce meridiana ſplendidius. Sed huic loco, quem explicamus omnium minime convenire poteſt. Quis ita lynceus, ut in his verbis manuum unctionem, & unctionis figuram inſpicere poſſit? *Patriarcha imponit manus ſuper corpus & Calicem ut Ordinationem conſummet*, *teguntur que manus ejus cum Velo ſacro. Tum revertitur ad Ordinandum, & eas capiti imponit, & ungit; Epiſcopique duo manibus ſuſtinent Librum Evangeliorum ſuper manus Patriarchæ.* Quæ hæc ſequuntur cum unctione non minus ſunt ἀσύστατα.

Præterea ſi demas hanc dictionem ambiguam, quæ ex circumſtantiis nullumodo ad unctionem referri poteſt, nullum eſt in toto ritu Maronitico unctionis indicium. In aliis porrò Orientalium ritibus nihil prorſus eſt, quod eo vergat, aut alludat. Si unctionis occurrat mentio, unctionem intelligunt ſpiritualem Spiritus Sanctus dona, virtutiſque Divinæ communicationem; ut in ritu Neſtoriano Ordinationis Presbyteralis, *Oleo ſanctitatis, Domine, unge ſervos tuos; manus tua iis auxilietur, brachium tuum confortet eos, ut ſacrificio fungantur in Eccleſia &c.* Et in Ordinatione Epiſcopali ante medium, *Unge eum Oleo ſanctitatis tuæ, & indue eum ſtolam gloriæ tuæ &c.* Et paulo poſt, *Da ſervo tuo o Princeps Pontificum ut ungat Sacerdotes, atque etiam Pontifices, & Cidarim gloria plenam ei impone.* Et verſus finem, *Eum elige electione ſancta per Spiritus Sancti unctionem, ut ſit tibi Sacerdos perfectus, &c.*

Poſtquam hæc ſcripſi mutuo accepi ab Illuſtriſſimo Epiſcopo Lutubenſi Johannis Darenſis Syri Metropolitæ elucubrationes in S. Dionyſium: de quo Joanne ſupra Adnotat. 22. (*Tom. 9. Cod. pag. 246.*) pluribus. Cum igitur hunc Librum Syrum evolverem, deprehendi eum Cap. 12. libri ſeu Sermonis ſecundi de Eccleſiaſt. Hierarch. quæſtionem, quam hic movèmus præcisè & enucleatè diſſolvere, moremque Syrorum hac in cauſa ita perſpicue explicare, ut nullus ſuperſit obſcurationi locus. Illo igitur capite in quo agit de Sacerdotii Chriſtiani excellentia, & prærogativis, comparat illud cum Moſaico, & exſcribit omnia penè quæ Levitici cap. 8. de Sacerdotum legalium variis Veſtibus, & unctionibus dicuntur; Quo facto ſubjungit,

ܠܗ̇ ܕܝܢ ܠܡܠܟܘܬܐ ܗܘܝܘ ܕܡܫܝܚ ܩ̈ܢܘܡܝܐ ܕܡܫܝܚ ܐܠܐ
ܟܗ̈ܢܘܬܐ ܡܫܝܚܬܐ. ܘܠܐ ܕܡܫܚܐ ܟܡ̈ܝܐ ܡܕܡ ܕܒܡܫܚ ܕܡܫܝܚܘܗܝ
ܘܐܬܡܫܚܘܗܝ. ܗܘ ܓܝܪ ܕܡܫܚܐ ܠܐ ܡܫܚܘ ܐܠܐ ܦܓ̈ܪܝܗܘܢ ܠܟܗܢ̈ܐ
ܡܫܝܚܐ

ܢܫܒܘܩ܂ ܒܠܚܘܕ ܓܒܪܐ ܥܬܝܩܐ܂ ܘܕܢܣܚܐ ܕܝܢ ܠܗ ܒܡܝ̈ܐ ܦܩܕ ܠܐ
ܟܕ ܟܬܝܒܐ ܗܝ ܕܐܣܬܚܝܬܘܢ ܠܟܗܢܘܬܐ ܘܐܠܐ ܡܬܩܕܫܝܢܝܬܐ܂
Hic vero non jubet Epiſcopus Sacerdoti noſtro, ut veſtes exuat & dimittat, ſed ut veterem hominem. Neque ut aquis lavaretur, propter quod ſcriptum eſt lavamini, & ſanctificamini. (verſionem ita corrige ; *neque ut aquis lavetur, cum ſcriptum ſit, jam abluti eſtis, & ſanctificati eſtis*) *ille enim qui lotus eſt, non eget niſi ut pedes tantum lavet. Ornari igitur nobis non præcepit veſtibus legalibus, ſed ipſo Chriſto Deo, qui veſtis eſt corruptioni numquam obnoxia.* Hoc ut probet addit, quicumque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis : & iterum, induiſtis novum hominem qui innovatur ad imaginem ejus, qui creavit eum, & induiſtis arma Spiritus Sancti : accingitur ergo cingulo ſpiritus, & pro tiara, & corona accipit opus redemptionis, coronam laudis, & amorem ſanctum. ܡܬܡܫܚ ܕܝܢ ܠܐ ܒܡܫܚܐ
ܡܪܟܒܐ ܐܠܐ ܒܗ ܒܪܘܚܐ ܩܕܝܫܐ ܩܢܘܡܐܝܬ ܘܡܥܒܕܢܐܝܬ܂
Ungitur autem non oleo compoſito, ſed ipſo Spiritu Sancto, perſonaliter, & efficienter.

Similiter poſtquam hæc ſcripſeram redditæ mihi ſunt literæ Abrahæ Ecchellenſis quem de more tam gentis ſuæ quam aliorum Syrorum in hac occaſione conſulueram. Ille verò hoc alterum mihi indicavit teſtimonium, ex tract. ſcilicet 4. Hebedjeſu de Sacramentis Eccleſiæ c. 2. ubi confert quoque Sacerdotium novæ legis cum veteri, & hæc habet verba, ܩܕܡܝܬܐ ܡܢ
ܒܡܫܚܐ ܗܝܘܠܢܝܐ ܡܫܬܡܠܝܐ ܗܘܬ܂ ܗܕܐ ܕܝܢ ܬܪܬܝܢܝܬܐ ܒܡܫܚܐ ܕܪܘܚܐ
ܠܐ ܗܝܘܠܢܝܐ ܒܣܝܡ ܐܝܕܐ ܡܫܬܡܠܝܐ܂ *Primum quidem ex oleo materiali perficiebatur : hoc autem ſecundum* (Novæ Legis) *oleo ſpiritus immateriali per impoſitionem manus perficitur.* Hæc Morinus, *Cui videtur aſſentiri Aſſemanus patruus Bibliot. Tom. 3. Par. 2. pag. 698. qui cum Syriacam, & Arabicam Rubricam, quæ in noſtra Verſione pag. 43. occurrit in Antiquis exemplaribus ab Aldoenſi adjectam, vel, ut ipſe Aldoenſis in Prefatione contendit, reſtitutam, cum ſcripſiſſet, ſubdit* ,, Verum ut docte Mo-
,, rinus Exercitat. 6. cap. 1. & Habertus in Homiliam Epiſcopi recens con-
,, ſecrati Obſervat. 1. 2. 3. & 4. oſtendunt, nec Presbyterorum nec Epiſco-
,, porum unctio materialis ex Chriſmate, ſeu Oleo apud Orientales un-
,, quam fuit in uſu : nullum hujuſce ritus apud eos veſtigium, nec in Aucto-
,, ribus, nec in Euchologiis : ſi auctor aliquis Græcus, vel Syrus de un-
,, ctione quid videtur dixiſſe, de ſpiritali intelligendus eſt ,,. *Cæterum quis Orientalium uſus antiquus fuerit, & quæ unctio alteri occaſionem præbuerit*

natur. *Tum verò Epiſcopi cum manibus Patriarchæ* (1) *attollunt Evangelium ſuper manus illius, deprimuntque illud, & flabella ſimiliter ſuper Evangelium, illaque commovent. Patriarcha autem precatur precationem invocationis Spiritus. Et dum conſummat precatur iterum.* Pax vobiſcum. *Populus*, & cum Spiritu tuo. *Poſtea Patriarcha ſeſe inclinat; deinde cum redierit ad eum qui ordinatur, Epiſcopi attollunt Evangelium & avertunt ab eo. Patriarcha ſignat eum, & dicit*, Ordinatur in Eccleſia ſancta Dei. *Reſpondent Epiſcopi*, N. Epiſcopus & Metropolita ad Eccleſiam ſanctam Urbis N. gregis benedicti. *Tunc apprehendit Patriarcha manum ejus dexteram, ut erigat eum; & unus ex Epiſcopis clamat, & dicit* (2), Kyrie ologon, *& reſpondent*, Kyrie eleiſon. *Tunc Patriarcha imponit ſuper caput ejus cidarim, & dicit*, In laudem, & gloriam, & honorem, & exaltationem Trinitatis ſanctæ, & æqualis in ſubſtantia; & in ſecuritatem, & ædificationem Eccleſiæ ſanctæ Dei.

Reſ-

---

rit, an ſpiritualis unctio materiali, tempore procedente, occaſionem dederit, an verò ex materiali unctione, ſpiritualis intelligi, ac deſignari cœperit alibi diſcutiemus.

(1) Dum Patriarcha manus attollit deſuper caput Ordinandi, eàſque demittit, Epiſcopi, qui adſident ei, attollunt quoque & demittunt Evangelium, ut Patriarcha poſſit commodè manus attollere, cumque eas demittit, ab Evangelii Codice longius æquo non diſtent: Evangelium enim ſuper Cervicem Ordinandi non ponitur immediate, ſed ſuper Patriarchæ manus. Idem quoque facere neceſſe eſt eos, qui Flabella Diaconica tenent. Videtur omiſſa conjunctio, O, & legendum, ܘܡܫܠܡܐ Flabella autem motitant ventus excitandi cauſa, forſan ut Spiritum Sanctum in Ordinandum illabentem figurent. *Hæc Morinus*. „ Cæterum de impoſitione Evangelii „ ſuper verticem & ſcapulas conſecrandi, plura alibi „

(2) Quare hanc vocem Græcam uſurpent, deinde reſpondent, Kyrie eleiſon, non video, niſi forſan error ſubſit. Fieri poteſt ut velint dicere, Domine, qui es verbum Patris miſerere. *Ita Morinus. Errorem autem, qui librariorum oſcitantia irrepſit, ita emenda.* Kyrie εὐλόγησον; Domine benedicito; *unde congrua eſit reſponſio populi*, Domine miſerere.

Reſpondent Epiſcopi, & univerſus Clerus. Poſtquam autem veſtivit eum, tunc deducunt eum ad ſedem throni, atque ita collocant eum, ita ut facies ejus ſit verſus Occidentem. Deinde apprehendunt Epiſcopi & Sacerdotes ſedem ejus, attolluntque eum, & circumducunt tribus vicibus, & unaquaque vice incipit Patriarcha, Dignus, *& reſpondent poſt eum*, Dignus & juſtus. *Tunc unus ex Epiſcopis legit* Evangelium, *& poſt* Evangelium *alius ex Epiſcopis alta voce pronunciat hæc verba.*

Stemus pulchre omnes in oratione cum attentione, & vocibus quæ Deum nobis placatum reddant. Pro Eccleſia ſancta & unica, Catholica & Apoſtolica hac, quæ a finibus orbis terrarum uſque ad fines ejus, Dominum rogemus. Pro hac congregatione noſtra a Domino petamus; Ut electio hæc non ſit offendiculo (1), ſed gratiæ, Dominum deprecemur. Pro Epiſcopo hoc qui hic ſtat; Domino ſupplicemus. Pro firma ſtabilitate ejus & timore Domini qui eſt in Spiritu Sancto, Domino ſupplicemus: Ut placeat Deo ſancto, oremus (2). Pro Eccleſia quæ ipſi commendata eſt, Dominum rogemus. Pro honeſtate, & decore vitæ, & ejus tranquillitate, & humilitate, & ſcientia recta & orthodoxa (3), Deum oremus. Ut nos omnes dignos reddat merito & victoria vocationis ſupernæ, Dominum deprecemur. Omnes pro omnibus, & pro invicem ſtudioſe Dominum rogemus.

Patriarcha orationem dicit Euchariſticam. (4) *Affertur baculum*

(1) Textus habet ܘܠܛܝܒܘܬܐ *& gratiæ*, ſed copula Vau hic requirit hunc ſenſum, aut pro, vau, legendum ܐܠܐ.

(2) *Verſionem Morini Corrige ſic.* „ Ut placeat Deo, Sanctos Oremus. „

(3) *Deeſt in Syriaco textu Morini Tò* „ Et Orthodoxa. „

(4) ܡܘܪܢܝܬܐ: Muronito, Caldæis, & Syris eſt haſta, lancea, ſeu ſcipio quivis ferrea cuſpide munitus; ſæpe uſurpatur, ſed hic peculiariter pedum Paſtorale ſignificat. In Neſtorianorum ritibus perpetuo ܚܘܛܪܐ, vocatur ideſt baculus, virga, quæ dictio Chaldæis, & Rabbinis idem ſignificat.

culus, cujus ſummitatem apprehendit Patriarcha, & ſubter manum Patriarchae apprehendit eum unuſquiſque ex Epiſcopis *juxta ordinem ſuum, & ſubter hos omnes apprehendit eundem baculum ille qui ordinatur. Patriarcha autem dicit voce, & tono harmonico.* Virgam fortitudinis mittet tibi Dominus ex Sion, & dominaberis inimicis tuis. *Reſpondent* Epiſcopi, *& omnes Clerici. Et poſt hæc adducunt eum ad menſam vitæ. Precatur autem Patriarcha, & ſtatim unus ex* Epiſcopis *alta voce profert hanc Litaniam, dum Clerus omnis ſtat coram altari* (1), *& alternant cum antiphona, Chriſte Deus omnium noſtrum.*

Stemus pulchre omnes ante eum qui in perſonis ex proprietatibus ſubſiſtentibus diſtincte non diviſim trinus cognoſcitur: In unitate verò ſubſtantiæ & naturæ, & honoris & poteſtatis una divinitas tantummodo intelligitur & creditur: Scilicet Pater æternus ante ſecula, & Filius qui natus eſt ſine principio; Et Spiritus Sanctus (2), qui neque quantus eſt, neque qualis, unus & ſolus Deus in Trinitate etiam adoratur, & Trinitas in unitate ab omnibus naturis intelligibilibus, & ſenſibilibus laudatur. *Oremus, Chriſte Deus noſter.* Ille eſt, cui cum timore & tremore miniſtrant qui ſunt in altis & ſupremis ſedibus, nempe throni in veritate confirmati, & cujus majeſtatem

(1) Scribitur in textu Syriaco, ܘܫܠܝܢ & quieſcunt, ſeu ſilent; ſed legendum mihi videtur Ain pro Lomad. Nam Clerus non tacet, ſed antiphonam, ſeu antiſtrophen cantat, & ſæpius repetit, *Chriſte Deus omnium noſtrum* ܫܥܝܢ autem Syris, & Chaldæis, narrare, annuntiare, colloqui, ſæpe ſonat, ut Joan. c. 1. verſ. 18. qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit ܐܫܬܥܝ. Ita Math. 11. verſ. 4. Hinc ܫܘܥܝܐ Confabulatio, narratio. *Sed ut verſionem Morini corrigas, & emendatam habeas conſule omnino noſtram verſionem.*

(2) Verba verbis reddita ſic habent, *Qui non eſt quantus in qualitate, una ſolitudo quæ etiam in Trinitate adoratur.* Ideſt perfectiſſima ſubſtantiæ unitas in Perſonarum Trinitate adoratur. Forſan aliquid deeſt in textu Syro. *Hæc Morinus. Sed nihil deeſt in Syro textu ut legenti patet; verſionem noſtram conſule pag. 118.*

tem aſpicere non audent: Attamen interea ſummos Sacerdotes noſtros dignatur communicatione, quum ſacerdotio ſuo ſpirituali fungentes, unanimitate rebus omnibus (1) excelſiore delectantur; atque etiam cum in volis ſuis circumferunt, dum cœli & terra nutu voluntatis ſuæ conſiſtunt. *Oremus, Chriſte Deus noſter.* Tu qui cum Patre ſenex es, & cum Spiritu Sancto es ſubſtantialiter divinitas, & principium Deificationis illuminativum, quique propterea quod humanitatem tuam amore proſequeris, cum hominibus converſatus es, & Pontifex noſter es vocatus, miniſterium hoc Epiſcopatus hominibus terrenis tradidiſti; & qui officio Sacerdotali funguntur, & qui Epiſcopatum cœleſtem ſuſcipiunt, & deificare, & perficere super terram declaraſti. *Supplicemus, Chriſte Deus noſter.* Tu qui Piſcatoribus ſcientiam dediſti, & Idiotas per excellentiam curſus Apoſtolici victoria donaſti, & magnificaſti; Epiſcopum iſtum quem elegiſti, ut iſtas oves tuas paſceret, erudi præterea divinis tuis donis, ut illuminationes tuas ſpirituales ſecundum veram tuam promiſſionem effundat, & oves tuas rationales abundanti effuſione potus ſpiritualis alat, & enutriat. *Oremus, Chriſte Deus noſter.* Tu qui Apoſtolos tuos ſanctos inſtar ſolis in mundo exhibuiſti, ut terram univerſam per rete & venationem doctrinæ ſuæ attraherent; & ad lumem cognitionis veritatis Theologicæ admoverent, Tu Epiſcopum iſtum victoria extolle & magnifica, ut eos, qui in tenebris ignorantiæ ſedent, illuminet, & ad lumen ſcientiæ adducat. *Adoremus.* Pro ſecuritate & concordia totius mundi fidelis: Et pro conſervatione Eccleſiarum, & cœnobiorum, & bono Paſtorum

ſtatu,

(1) Legendum videtur ܪܘܡܐ cum Olaph in fine: nullus enim eſt locus conſtructioni. Ita poſt aliquot lineas in eadem dictione expungenda eſt, & dictio verbaliter intelligenda, non adjective, *Tu Epiſcopum iſtum victoria extuliſti. &c.* Propter tamen nomen adjunctum, *Victoria*, in Imperativo deprecativo commodius videtur. Iterum poſt aliquot lineas ܐܠܡܫܡܫܢ videtur ܐܠ irrepſiſſe.

ſtatu, & incolumitate; Atque ut avertat Dominus Deus a terra & incolis ejus omnes plagas, & virgas furoris. Et pro defunctis qui ex aqua & ſpiritu nati ſunt, & in rectitudine laudis, ſeu fide orthodoxa ad te diſceſſerunt. Et pro populo iſto, in nomine tuo ſancto nobiſcum congregato deprecemur. Fac nos mereri Chriſte Deus noſter, ut per hoc ſuum ſacerdotium myſteriis plenum nos dignos reddat qui, promereamur hoc perfectum donum, quo perfectionem perfecte conſequamur, atque ut in Eccleſia Primogenitorum cœleſtium magno hoc Sacerdotii miniſterio fungamur, & laudem æternam cum exultatione Angelica offeramus, & cum omnibus ſanctis ſpirituali gaudio geſtientes, clamemus & ter dicamus, Kyrie eleiſon. Poſt hæc Litaniam incipiunt, dicuntque hymnos cujuſdam ex Doctoribus qui nomen habet in Chirotonia celebre. Patriarcha autem & Epiſcopi dant ei pacem, & reliquæ Congregationi dextera benedicunt. Poſtea eum adducunt ad portam altaris, ubi univerſum populum obſignat Chriſmate, & ab eo circumitur populus, & ſanctorum myſteriorum participatione donatur.

Hic explicit Joannis Morini verſio, quoniam verò litania iſta in Syriaco noſtro textu deſideratur, idcirco gratum Lectoribus facturum me judicavi, ſi litaniæ Morinianum textum (omiſſa prima ſtropha, quæ in noſtra verſione exſtat, ut ſupra adnotavi) Syriacum hoc loco exhiberem, ſed quia ejus verſio correctione in nonnullis videtur egere, idcirco placuit novam Syriaci ipſius textus verſionem adornare.

Chriſte Deus omnium noſtrum. Cui in cæleſtibus ſublimibus Throni, ſcilicet ſedes ſtabiles cum timore & tremore miniſtrant, quin tamen Majeſtatem tuam intueri audeant. Quique in terra Summos Sacerdotes noſtros communicatione dignatus es, quum Sacerdotio ſuo Spirituali fungentes, Specie ejus maxima delectantur; atque etiam te in volis ſuis circumferunt, dum cælum, & terra nutu voluntatis tuæ conſiſtunt. Precamur.

Chri-

Chriſte Deus omnium noſtrum. Qui cum Patre poſſides & cum Spiritu Sancto ſubſtantialiter Divinitatem & principium deificationis illuminativum; & propter tuum erga homines amorem cum hominibus converſatus es, & Summus Pontifex noſter appellatus es; & miniſterium hoc Summi Sacerdotij hominibus terrenis tradidiſti, quos Miniſtros conferentes, & imitatores Summi Sacerdotii cæleſtis, eoſque deificantes atque perficientes ſuper terram declaraſti. Supplicamus.

Chriſte Deus omnium noſtrum. Tu, qui Piſcatoribus ſcientiam dediſti, & Idiotas illuſtri Apoſtolico curſu decoraſti, & magnificaſti; Summum Sacerdotem iſtum, quem elegiſti, ut oves tuas paſceret, dirige, & erudi etiam divinis tuis donis, ut flumina Spiritualia ſecundum veram tuam promiſſionem diducat, & oves tuas rationales abundanti effuſione potus ſpiritualis alat & enutriat. Deprecamur.

Chriſte Deus omnium noſtrum. Tu, qui Apoſtolos tuos ſanctos inſtar Solis in mundo exhibuisti, & terram univerſam per rete doctrinæ ſuæ attraxerunt, & ad lumen cognitionis veræ Theologicæ admoverunt, Tu (*inquam*) Summum Sacerdotem iſtum illuſtra, & magnifica, ut eos, qui in tenebris ignorantiæ ſedent, illuminet, & ad lumen ſcientæ transferat. Adoramus.

Pro Securitate & concordia totius mundi fidelis, & pro conſervatione Eccleſiarum, & Monaſteriorum, & bono Paſtorum ſtatu; Atque ut avertat Dominus Deus a terra & incolis ejus omnes plagas, & virgas furoris; Et pro Defunctis, qui ex aqua, & ſpiritu nati ſunt, & in ortodoxa fide ad te diſceſſerunt; Et pro populo iſto in nomine Tuo ſancto nobiſcum congregato: Deprecamur. Concede nobis Chriſte Deus noſter ut pro iſto myſtico Sacerdotali miniſterio, quo dignos nos reddidiſti licet immerentes, digni efficiamur dono illo, quod eſt perfectio omnis perfectionis, atque ut in Eccleſia primogenitorum cæleſtium miniſterio magno Sacerdotali fungamur, & laudem æternam cum choris Angelicis offeramus, & cum omnibus

bus Sanctis ſpirituali gaudio geſtientes clamemus, & ter dicamus. Kyrie eleiſon.

Poſt Litaniam verò incipiunt, & dicunt hymnos cujuſdam ex Doctoribus, cujus nomine inſignitur is qui impoſitionem manus accepit. Tum Patriarcha & Epiſcopi dant ei pacem, reliqua verò Congregatio benedicitur dextera ejus (Scilicet dexteram ejus oſculantur cæteri, & ita benedictionem ab eo accipiunt). Poſtea illum adducunt ad portam altaris, ubi univerſum populum obſignat baculo paſtorali, & populus ab eo benedictionem accipit, & Sanctorum myſteriorum participatione donatur.

SYRIACUS AUTEM TEXTUS SIC HABET.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

ܒܦܘܩܕܢܐ ܕܥܕܬܐ ܒܬܫܡܫܬܐ ܡܫܒܚܬ ܘܠܐܒܐ ܒܟܠܗ ܒܡܦܝܣܢܘܬܐ
ܘܡܟܗܢܘܬܗܘܢ ܕܝܠܗ ܘܟܠܗ ܢܗܘܐ ܘܕܝܠܗ ܫܪܝܪܐ ܕܐܘܪܫܠܡ
ܫܪܒܗ . ܐܝܟ ܕܫܡܥܢܘܬܐ ܗܘܐ ܒܝܘܡܬܐ ܘܫܢܬܐ ܕܡܟܗܢܘܬܐ ܡܫܝܚ :
ܐܡܬܝ ܘܠܐܚܪܢ ܕܫܡܫܢܘܬܐ ܕܠܐ ܡܬܦܠܓܐ ܡܟܝܠ ܕܢܗܘܐ ܘܟܠܗ ܢܗܘܐ
ܘܡܬܕܟܝܐ ܠܥܠܡ . ܐܡܝܢ .

ܡܠܟ ܥܠܡܐ ܘܐܒܘܗܐ ܕܟܠܗ ܒܪܝܬܐ ܡܫܡܫܢܐ . ܘܡܠܟ ܢܗܘܪܐ
ܕܥܬܝܕܐ ܘܕܘܡܝܐ ܘܡܫܡܪܐ ܫܡܝܐ ܘܐܪܥܐ . ܘܡܠܟ ܕܝܢ ܥܠܡܐ ܡܫܪܝܐ
ܒܟܠܗܘܢ ܡܫܡܫܢܐ ܘܡܫܒܚܐ ܘܕܚܝܠܐ ܡܢ ܐܪܥܐ ܘܡܫܡܫܝܢ . ܘܡܠܟ
ܕܒܝܬܐ ܕܡܢ ܡܬܠ ܘܫܘܠܛܢܐ ܐܠܗܐ ܘܡܫܒܚܐ ܠܥܠܡ ܫܡܝܐ ܠܥܠܡ
ܫܠܝܚܐ . ܘܡܠܟ ܥܠܡܐ ܗܘܐ ܕܒܫܡܝܐ ܦܝܫܐ ܥܡܗ ܒܢܝܐ : ܥܠܡܝܢ .
ܐܝܟܢܐ ܠܝ ܡܫܝܚܐ ܠܐܒܐ ܕܠܝ ܕܡܠܟ ܗܘܐ ܡܫܡܫܢܘܬܐ ܦܐܝܫܬܐ
ܕܟܠܗ ܐܫܬܝܬ ܠܝ ܟܕ ܠܐ ܫܪܝܢ ܕܡܫܡܫܢܘܬܐ ܗܘ ܕܫܡܝܪܐ
ܕܡܫܪܪܘܬܐ ܫܡܝܪܘܬܐ . ܘܡܟܝܠܐ ܕܒܟܠ ܐܬܡܠܝܬ ܗܘ
ܗܘܬܐ ܢܦܫܝ ܘܐܬܟܢܫܬ ܡܬܬܪܝܨܐ ܒܝܘܡܐ ܡܠܐܟܐ ܢܫܬܒܚ
ܘܡܢ ܟܠܗܘܢ ܡܝܩܪܐ ܒܝ ܦܘܪܩܢܐ ܘܫܘܒܚܐ ܢܟܝܠ ܘܢܐܡܪ
ܠܬܠܬܐ ܩܕܝܫܘܬܗ * ܘܟܬܒ ܕܝܢ ܠܥܕܬܐ ܡܫܪܝܢ ܐܘ ܡܫܝܚ
ܡܟܬܝܒܬܐ ܕܝܢ ܡܢ ܡܟܠܝܐ ܕܫܡܫܘ ܡܫܟܚ ܗܘ ܕܫܪܝܪܘܬܗ
ܗܘܐ . ܘܫܡܪܝܢܐ ܘܐܫܬܡܠܝܬ ܫܪܝܢ ܠܗ ܫܠܡܐ .
ܫܪܒܐ ܕܝܢ ܕܒܝܬܐ ܡܬܟܪܙܝܢ ܡܢ ܡܫܡܫܢܘ . ܘܡܫܬܟܚܝܢ ܠܗ
ܠܬܦܢܐ ܕܡܕܒܚܐ ܘܫܠܡ ܟܠܗ ܥܠܡܐ ܒܡܫܦܪܢܘܬܐ . ܘܡܫܬܟܪܝܢ
ܒܟܠܗ ܡܠܟܘ ܥܠܡܐ ܘܡܫܬܥܠܝܢ ܠܐܒܐ ܡܫܝܚܐ .